MERCURII GALLOBELGICI
SUCCENTURIATI
Sive,

RERVM IN GALLIA ET BELGIO POTISSIMUM : HISPANIA QUOQUE, ITALIA, ANGLIA, GERMANIA

Vngaria, Transylvania, vicinisq; locis, à nundinis Francofordiensibus Anni 1603, vernalibus usq; ad eiusdem anni autumnales potissimum gestarum,

HISTORICÆ NARRATIONIS
continuatæ,

TOMI QVINTI
LIBER PRIMVS.

Vere & fideliter conscriptus à
M. GOTARDO ARTHUS DANTISCANO.

FRANCOFURTI
Sumptibus SIGISMUNDI LATOMI, Anno 1604.



Ad beneuolum Lectorem.

MERCVRIVM, *qui cantus dulcedine ſopitum Argum centoculum interemiſſe Poetis fingitur, in tanto apud Ægyptios olim honore fuiſſe, Cic. 3. de nat. Deor. autor eſt, ut vel nominare ipſum nefas haberetur. Miraris ergo forſitan Lector beneuole, cur Narrationes haſce noſtras ſub Mercurii nomine in vulgus exire & tibi communicare auſus fuerim? Ego vero non diffiteor equidem, alium me commentationibus hiſce noſtris titulum elegiſſe, alio forſitan etiam aliquos delectari non dubito: Atqui cum prudentiorum conſilia non aſpernanda & ſeniorum iudicia maturiora plerunq; & meliora habeantur, in reprehenſionem potius quorundam calide nimis & præcipitanter iudicantium, incurrendum, quam ſalutaribus non obtemperandum admonitionibus putaui. Narrationes me contexere videbant, illis non multum abſimiles, quas ſub hoc titulo ſuperioribus annis à Ianſonio cœptas, & nuper continuatas meminerant, eodem igitur nomine lectoribus commendari, quam nouo titulo eis*

obtrudi, & nouæ narrationis ſuſpicionem inuidiamq; ſubire eas malebant.

Nec tamen etiam rationes defuerunt, quibus commotus, titulum hunc retinendum potius, quam de alio cogitandum putaui. Nam vt iam non dicam, quod Mercurium veteres, nuncium & interpretem Deorum habuerunt: Itinerum certe & viarum Ducem eum olim conſtituerunt, vnde & Hodium, & Hegemonium, à viis & ſemitis, in quibus ſtatuebatur, ad monſtrãdum peregre proficiſcentibus iter, eum appellarunt. Eleganter & docte, vt omnia, Alciatus:

In triuio mons eſt lapidum, ſupereminet illi
Trunca Deì effigies, pectore facta tenus.
Mercurii eſt igitur tumulus, ſuſpende viator
Serta Deo, rectum qui tibi monſtrat iter.
Omnes in trivio ſumus, atq; hoc tramite vitæ
Fallimur, oſtendat ni Deus ipſe viam.

Offerunt ſeſe profecto in hac vita tot interdum tantaq; difficultates & ſalebræ, tanta vero inſuper tamq; craſſa hominum mentibus ignoratio rerum omnium affuſa eſt & inſita, vt quaſi in triuio conſtituti, anxii ſæpe hæreant, & quid potiſſimum eligant atq; ſequantur, neſciant; Mercurio igitur hic fideli opus ipſis eſſe, cuius ductu quaſi & nutu in certam aliquam viam ſeſe recipiant, quis neget? At vero hiſtoriæ, quid aliud quæſo ſunt, quam Mercurius eiuſmodi, qui propoſitis variis caſibus, & exitu euentuq; conſiliorum humano-

manorum monſtrato diſſimili, ſemitas monſtrat, quibus inſiſtendum præcipue, ne à vero aberretur?

Iam ex Diuis omnibus Mercurium maxime Gallos olim coluiſſe, vel ex Iulii Cæſaris conſtat teſtimonio. Deum Mercurium, (inquit ille,) Galli maxime colunt, huius plurima ſunt ſimulachra, hunc inventorem artium ferunt, hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturaſq; habere vim maximam arbitrantur. Hinc eſt quod Mercuriales & leues appellentur Galli, id enim à Cæſare ſcriptum, à Cornelio Tacito confirmatum, ab Italis & Germanis ſæpè repertum eſt, quos ego quidem omnes ad animi quandam alacritatem, docilitatem, & præcipitem in agendo celeritatem, id eſt ad Mercurii naturam, leuitatis vocabulo reſpexiſſe arbitror. Cum enim aliorum populorum mira ſit in oratione, geſtu, inceſſu, & omnibus actionibus tarditas, Galli tam celeres ad omnia cernuntur, ut prius rem geſſerint, quam alii conſilium inire poſſint, greſſu vero tam celeri ferantur, ut eos currere non incedere putes. Nec minor in diſcendo, quam in aliis actionibus, eorum eſt facilitas atq; celeritas, ſic enim quod alii cogitatione diuturna vix inuenerunt, ipſi celerrime conficere & imitari cernuntur, ut non immerito Cæſar eorum docilitatem admiratus ſit, & de iis Iulius Scaliger hunc in modum ſcripſerit: Gallos videmus ad o-

mnia momenta euentuum & disciplinarũ promptos atq; versatiles esse, qui animorũ vigor igneus maturaq; celeritas nulli alii nationi data est, quocunq; iucubuere felicissime sese dant, & ocyssime proficiunt, gnauiter exercent mercaturam, literas, arma, eruditionem, candorem, eloquentiam, omnium tamen gentium ac nationum fide sunt maxima, integra & constanti.

At vero quid Belgis cum Mercurio commune? Belgas Galliæ populos semper habitos nouimus, & regionem ipsam quam incolunt, à Sequana fluuio ad Rhenum usq; ut plerique Authores tradunt, tertiam Galliæ partem constitutam esse. Sic enim Cæsar: Gallia est omnis (inquit) diuisa in tres partes, quarum vnam incolunt Belgæ, alteram Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Quare licet Saxonum Coloniam à Carolo Magno in Belgas deductam constet, non tamen propterea à Gallorum Mercurio Belgas seiungendos & excludendos esse putandum est. Nam ut plantæ alio translatæ, soli, unde alimentum trahunt, naturam induunt, sic homines quoq; alio traducti, licet non statim & facile, longa tamen temporis diuturnitate, insitam naturæ suæ vim mutare certum est, cum consuetudo sit altera natura, & non parum disciplina possit, ad mutandum hominum naturam. Hinc est quod de Gallis quibusdam, qui fertilissima quæq; Germa-

nia le-

nia loca occuparant, Cæsar scribat, eos temporis decursu, mores & naturam ita mutasse, ut se vivente in eadem egestate & patientia, qua Germani, permanerent, eodemq; victu & cultu corporis vterentur. Hinc est etiam quod L. Memmius Consul, dimicaturus contra Galatas, minoris Asiæ populos, à Gallis originem ducentes, qui in magna bellicæ laudis opinione olim floruerant, Romanorum legiones, metu Gallici nominis perterritos, in victoriæ spem erexit, quod diceret: Galatas iam pridem Gallos esse desiisse, iamq; Asiæ delitiis effœminatos, & Cæli temperie molles factos, feritatem amisisse, ut nihil amplius ab illis metuendum esset. Quod si qui in Germaniam concesserunt Galli, naturam suam cum Germanorum moribus permutarunt: Si Galatæ, Asiæ delitiis effœminati, à Gallorum, vnde ortum traxerant, virtute desciuerunt, quis Belgas propter Saxonum aliquam coloniam, à Mercuriali Gallorum ingenio separandos & excludendos putet?

Maneat igitur Mercurius hic Gallobelgicus, rerum in Gallia & Belgio, vicinisq; locis præcipue gestarum internuntius & Hegemonius quasi quidam, qui ut nullius partis studio, sic nullius etiam odio, sed simplicissimæ veritatis amore adductus, tc quasi in triuio constitutum, & anxie quid in rebus grauissimis eligendum sit, dubitantem moneat, regat, moderetur, & gubernet, vt quasi cœ-

leſti adiutus ope, in certam te viam recipere poſſis. Hæc præfari & te in ipſo quaſi limine ingreſſuq; monere lector optime viſum eſt. Tuum iam fuerit, hoc quicquid eſt laboris, quod in tuam vtilitatem & delectationem à nobis ſuſcipitur, boni conſulere, commentarios noſtros, eo quo tibi offeruntur animo, candido ſcilicet & ſincero, accipere, & nos tuo fauore complecti. Vale.

M. Gotardus Arthus
Dantiſcanus.

MER-

MERCVRII GALLO-BELGICI SVCCENTVRIATI, TOMI QUINTI Liber I.

EA PRÆCIPVE CONTINENS quæ á nundinis Francofurtenſibus Anni 1603. vernalibus, vſq; ad eiusdem anni autumnales memoratu digna paſſim euenerunt.

SIT nomen Domini benedictum à ſeculo & vſq; in ſeculum, exclamat Daniel Propheta, rationem inter alias hanc etiam addens, ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna & conſtituit. Idem hodie & in Anglia ex ore prophetico repetitũ & ingeminatum aliquoties nouimus, ibi enim qui in hoc ampliſſimo mundi theatro perpetuum, firmum, ſtabile, fixum, immotum & immutabile

Anno 1603. *Elisabetha Angliæ Reginæ mors.*

tabile nihil præter seipsum voluit esse, Deus ter opt. Max. eiusmodi nuper ludos dare visus est, ut quæ non ita pridem constitere, iam iacere, rursusq; erecta florere visa sint, Præfuit isti regno ad annos ferme 55. Elisabetha, fœmina præter multas corporis dotes, supra sexum prudens literisq; & linguis multis expolita. Hac igitur Dei Opt. Max. iussu & voluntate ab hac luce & subditorum suorum conspectu subtracta, iacere omnia videbantur, luctu quasi & mœrore exanimata grauissimo, & curarum vndis non minimis oppressa. At vero publicato paulo post procerum Angliæ decreto, quo diuina ita moderāte prouidentia, Iacobo VI. Scotorum Regi, regni sui habenas ipsi detulerant, iam resurgere quæ iacebant, mortua reuiuiscere, efflorere sepulta, & curis obruta grauissimis frontem exporrigere rursus atq; lætari visa sunt. *Homines quatimur*, inquit Boetius, *fortuna sola*, addunt Angli ex eodem:

Iacobi I. Angliæ Regis proclamatio

Rapidos Rector comprime fluctus,
Et quo cœlum regis immensum,
Firma stabiles fœdere terras.

Sed quod Claudianus dicit: *Nulli pars æmula defuit vnquam*, id in hoc quoque Rege verum experientia confirmauit. Reperti sunt enim statim post decreti istius publi-

cationem

eationē, qui rumorem incerto quidem sed dubio procul proditionis alicuius & conspirationis occultæ non ignaro authore sparsum, petulanti & intemperanti ore, longe lateque disseminarunt, de Rege hoc per insidias sublato & interfecto. At vero mendax hic fama deprehensa est, quæ est vt poeta dicit: Anno 1603.

Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.

Nam non solum ille non extinctus fuit, sed & honores sibi oblatos ambabus q̄ dicitur manibus, acceptauit, & istam Anglorum erga se beneuolētiam, mirifice approbauit, literas statim ad regni proceres, regii sui fauoris & beneuolentiæ erga eos testes satis locuplētes, in hanc fere sententiam exarans:

Litera Regis Iacobi I. ad proceres Angliæ.

Dilecti fideles salutamus vos animitus. Posteaquam nobis renunciatum est de singulari vestro studio in legitima proclamatione & promotione nostri in Regem & Dominum vestrum, post luctuosum Sororis quondam nostræ charissimæ, Reginæ vestræ obitum & decessum, adhibito, quo quidem fidei & sinceritatis vestræ veteris specimen haud vulgare dedistis in perpetuam commendationem ciuitatis vestræ Londinensis, quæ ut metropolis regni, sic sedes etiam regia est, ab omni fraude & inhone-

Anno honesta machinatione libera & immunis;
1603. aliter quidem facere nullo modo potuimus, quin prima quaq; occasione, gratitudinem nostram vobis declararemus, confirmantes vos simul de favore & beneuolentia nostra, vestris quidem commodis omnibus tam publicis, quam priuatis promouendis paratissima, omni namq; conatu enitemur, ut dignitas commoditasque vestra sarta tectaq; sit & inconcussa persistat, interim à vobis expetentes, ut in muneribus vestris quilibet pro sua virili obeundis, strenue pergatis, iustitiam conseruantes & defendentes eodem quo Sorore quidem nostra honoratissima inter vos adhuc regnante, à vobis factum cognouimus modo, donec fauoris & benenolentiæ nostrę erga vos argumenta plenius vobis & planius patefiant, de quibus quidem dubitationem vel minimam vos concipere nolumus, vniuersis & singulis vobis ex animo bene cupientes, &c.

His quidem literis procerum animos deuincire sibi voluit; Cum vero moram trahere aliquandiu cogeretur, & nisi constitutis prius in Scotia rebus suis, itineri sese accingere & præsentem in Anglia sistere non posset, missis ad ordines literis publicis, omni suum fauorem populo per-

præco-

præconem denunciari, omnesq; muneribus publicis fungentes confirmatos, de aduentu suo quamprimum in Angliam maturãdo edoceri iussit, qua quidem proclamatione, non dubitare sese testatur, quin quemadmodum ipse quidem delectatus sit debito & officioso omnium ordinum & totius populi studio, in approbatione & declaratione iuris, quo in Reginæ defunctæ successione præ aliis fruerentur, declarato, sic vice versa ingentem populus omnis concepturus sit lætitiam, si de singulari suo erga omnes fauore, mature edoceatur, de quo quidem quemadmodum etiam de animo suo erga omnes promotionis suæ Autores gratissimo, licet in literis hoc nomine non ita pridem ad proceres Angliæ datis, haud obscura extare testimonia sciat, velle tamen se, ut publica hac proclamatione omnes etiam & singuli, cuiuscunq; status & cõditionis sint de eo admoneantur & edoceantur, præsertim cum nihil quicquam in ciuitatibus, iudiciis & muneribus deniq; omnibus immutatum, sed omnia tam ciuilia quam militaria officia sarta tecta; conseruata velit, quemadmodum à defuncta quidem Regina prudenter olim constituta, & hucusque non sine fructu Reipub. maximo admi-

Anno 1603.

Confirmatio munerũ publicorum in Anglia &c. ad aduentum Regis.

Anno 1603. administrata fuerint, velle autem se ut muneribus suis omnes ita præsint atque fungantur, ne rationem administrati officii, reddere aliquando vereantur, sed parati potius sint eorum, quæ, ubi ipsemet adueniens abroganda iudicauerit, necessariam utilemque correctionem admittere. Præterea testatur delectari sese quidem studio populi & procerum regni, in occursum sibi tendentium, & diuersis sese in locis magna copia congregantium ad videndum & amplectendum personam suam, Verum cum ex confluxu eiusmodi & concursu annonæ caritas existere possit vel maxima, & ex personarum etiam muneribus publicis fungentium absentia, damnum accedere Reipub. haud exiguum possit, internis nimirum externisve hostibus, ut hac occasione in perniciem regni aliquid moliantur, excitatis, velle sese ut congregationes eiusmodi intermittantur & occursationes omnes vitentur earum præsertim personarum, quæ muneribus publicis præsunt, iubens interim omnes & singulos certissimos esse, non minori sese teneri desiderio subditos suos fidelissimos coram salutandi & amplectendi, quã eorum quispiam in præsentia Regis sui sese oblectare expetat.

Præter

PRÆTER lamentabilem sereniſſimæ modo dictæ Angliæ Reginæ Eliſabethæ mortem, vernum huius anni tempus, obitu sereniſſimæ etiam & potentiſſimæ Heroinæ & Dominæ, Dominæ Mariæ, Rom. Imperatricis Vngariæ ac Bohemiæ Reginæ, luctuoſum fuit, de qua operæ pretium fuerit, paucula quædam hic referre, cum vix inter principes, fœminas aliqua, ab omni hominum memoria Imperatrice hac vel genere illuſtrior, vel maieſtate amplior, vel matrimonii honoribus auctior, vel virtutibus præſtantior, vel quovis laudum genere nobilior extiterit. De Lampedone quadam principe fœmina Plinius ſcribit, eam Regis filiam, Regis vxorem, & Regis matrem fuiſſe. Magnum profecto decus, magnum Dei donum, magna felicitas! ſed quid de auguſtiſſima pariter & pientiſſima hac Imperatrice dicam, cui ea diuinitus conceſſa tam gratia quam gloria fuit, ut Romanorum Imperatorum, Maximiliani I. proneptis, Caroli V. filia, Maximiliani II. coniux, Ferdinandi I. nurus, Rudolphi II. Domini & Imperatoris noſtri clementiſſimi, mater, Diuæ Imperatricis Iſabellæ, ex ſanguine Regum Portugaliæ filia extiterit? Scilicet hæc ea fœmina fuit, q̃ ab Impera-

Anno 1603. *Mariæ Imperatricis Romæ in Hiſpania degentis obitus.*

Anno 1603. peratoribus originem ducens, per Imperatores, Imperatorem nobis reddidit, tantorumq; Principum atq; Reginarum, quorum nomen, virtus & pietas obscura possunt esse nemini, ipsa sanctitate plena, mater esse meruit feliciſſima. Hæc visa est multis sine maiestate Imperiali, ad quam in rebus diuinis nullum habebat respectum, sub auroram surgens, horæ sæpenumero integræ spacium orationi priuatæ impendere, & tota pietati, tota suspiriis & lachrymis, tota soli Deo inhærere. Hæc visa multis est per diem, non sumptuosum, non immoderatum corpori contribuere ornatum, sed ad colloquia spiritualia, ad orationes, pia exercitia & lectionem, itemque ad audiendos & iuuandos supplices, ad moderanda interdum negotia publica, vel ad visitandas morbo correptas fœminas virginesq;, post ad cænulam, ad preces, ad quietem, eamq; modicam sese conuertere. Quotannis in die Cænæ Dominicæ, unius infantis & 12. virorum pauperum lauabat pedes, imprimebat ipsorum manibus oscula, cibos & vestes subministrabat. Alebat corpus proprium, sed moderate. Animam vero, octauo quoque die & festis celebrioribus, sacratiſſimo Eucharistiæ Sacramento fouebat, captiuos interim

cum

cum commiseratione duobus ferculis in mensa sibi gratissimis subinde pascens. Tandem in matura, eaq; veneranda senectute constituta, appetente post hyemis proximæ decursum, verno tempore, cœpit cum catharro & lateris dolore ad quintum vsque diem conflictari, & in benevola Dei voluntate, qua sibi non in Germania apud charissimum suum filium Cæsarem, quo cum, animo semper coniunctissima vixit, sed in Hispania apud nepotem suum, corpus deponendum esse videbat, acquiescēs, ad felicem vitæ huius transitum modis omnibus sese parare. Itaq; cum terminus vitæ iam instaret, inter preces & suspiria, viam omnis carnis ingressa, ad saluatorem nostrum Christum, quem vnice semper expetiit, placide commigrauit, insigni omnibus quod æmulentur relicto exemplo. Anno 1603.

Georgius Fridericus Marchio Brandenburgicus moritur.

Dvm his commentandis occupamur, nuncius de lamentabili & toti quidem Germaniæ admodum luctuoso illustrissimi & potentissimi principis ac Domini, Dn. Georgii Friderici Marchionis Brandenburgensis, Borussiæ, Stetinorū, Pomeraniæ, Cassubiorum, Henetorum & Silesię &c. Ducis, Burggrauii Noriberg. & principis Rugiæ, &c. obitu, aduenit. Natus hic

Anno 1603. princeps fuit Onolsbaci Anno 1539. die 5. Aprilis, & in vera pietate omnibus q; heroicis virtutibus educatus, cum ad maturam perveniſſet ætatem, vxorem duxit Eliſabetham Brandenburgicam Anno 1558. Eaq; Warſouiæ in Polonia Anno 1578. placide defuncta, & Regiomonti Boruſſiæ in templo cathedrali humata, Anno 1579. ad ſecunda vota tranſiens, Sophiam, Guilhelmi principis Brunſuicenſis & Lunæburgenſis filiam, duxit, Cumque principatum 47. annis gerens, omnia piè, feliciter & pacifice cum ſumma laude adminiſtraſſet, & in cognoſcendo legēdoq; verbo Dei, quo vnicè delectabatur, omne ſuum ſtudium poſuiſſet, tandem hoc ipſo anno, die 26. Aprilis, finito ætatis anno 64. Onolsbaci, in vera agnitione, ardentiq; invocatione filii Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, piè & placide cum ingenti ſubditorum ſuorum luctu obdormiuit. Cui poſtmodo funus ſatis amplū & honorificum factum eſt 14. Iunii, congregatis in hunc finem Electore Brandēburgico & multis principibus nobilibusq; perſonis aliis, qui exequiis eum honorificis proſequentes, ad monaſteriū Halsprunnenſe cum ingenti luctu & mœrore tali quidem pompa, ordine & proceſſu deduxerunt: Principio agmen ducebāt 6. nobiles aulici, hos ſequebatur Petrus Ra-

mazonius Bassista principis, Crucé gestãs, post eum Ludimoderatores Scholæ Onolsbacensis, ducebant pueros 300. studiis bonarum artium addictos. Sequebantur pastores & Concionatores 30. Musici item aulici, cum æneatoribus & tympanistis, quorum agmen claudebant 12. tubicines, tubas gerentes pulla quidem veste obvelatas, sed insignibus tamen principis conspicuas. His ita præmissis nouum quasi agmen ducebant, Guilielmus Comes Mansfeldię, cum consiliariis Electoris & principum præsentium, nempe Electoris Brandęburgici; Christiani & Ioachimi Ernesti Marchionũ; principis Coburgẽsis; Palatini Neoburgici; Lunæburgici; & Marchionis Ioannis Georgii, Administratoris Capituli Argentinẽsis. Hos sequebantur prædictorũ Electoris & principũ Aulici, Vasalli itẽ & ad exequias hasce peculiariter inuitati descriptiq; nobiles alii, quorũ agmen claudebant 30. Sclopetarii eqtes sclopos inuersos in humero gestantes. Tertium agmen ducebant tres præfecti principis, nimirum Ioannes Ludouicus Monasterius præfectus Kitsingensis; Georgius Erckingerus Lendersheimius, præfectus Streitbergensis; & Eberhardus Eltershofius, præfectus Hoheneccensis. Hos sequebantur 12. equi

Anno 1603. *Processus funebris Marchionis Brandęburgici.*

Anno 1603. panno nigro obuelati, & insignibus principis separatis atque distinctis conspicui cum totidem vexillis, quorum primum prætorium ex panno Damasceno rubro, reliqua vero omnia ex nigro constabant. Gestabat illud Ioannes-Albertus Baro Wolffsteinius, præfectus Creilsheimensis, equum vero ducebant Fridericus Wigandus, Reduitzius in Hoffeck, & Ioannes Reinhardus Berlichingius. Vexillum alterum in quo insigne Marchionatus Brandenburgici depictum erat, gestabat Ioannes Erckinger, Baro Sainsheimius, equum ducebant Georgius-Sigismundus Rosenburgius, & Fridericus-Guilielmus Guttẽbergius. Vexillum tertium cum insigni Borussiæ gestabat Sebastianus Bartheimius senior, equitum magister, equum ducebant Georgius-Vlricus Velleuartus, & Abrahamus Brandius. Vexillum quartum cum insigni Stettinorum, gestabat Ioannes Philippus Fuchsius Binbacensis. Equum ducebant Martinus-Conradus Eybius & Ioannes-Philippus Hund. Vexillum quintum cum insigni Pomeraniæ, gestabat Ioannes-Fridericus Gotsmannus, equum ducebant Fridericus Creilshemius & Wolffgangus Christophorus Gebsattelius. Vexillum sextum cum insigni Cassu-

Cassubiorum, gestabat Ioannes Ioachimus Seckendorffius. Equum ducebant Ioachimus Gichius & Sigismundus Valdenfelsius. Vexillum septimum cum insigni Henetorum, gestabat Fridericus Eybius, equum ducebant Ioannes-Sigismundus Crailshemius, & Sigismundus-Magnus Sedvitsius. Vexillum octauum cum insigni Silesiæ, gestabat Ioannes-Philippus Crailshemius: Equum ducebant Ernestus Monasterius & Eberhardus Eybius. Vexillum nouum cum insigni Iægerndorffii, gestabat Georgius-Theodoricus Gichius, equum ducebant Wolffgangus-Christophorus Truchses Pomersfeldius, & Ioannes Asmus Steinachius. Vexillum decimum cum insigni Burggrauiatus Norinbergensis, gestabat Albertus-Christophorus Rosenburgius; Equum ducebant Ioannes Guilielmus Eybius, & Casparus à Stetten. Vexillum vndecimum, cum insigni Rugiæ, gestabat Laurentius Monasterius: Equum ducebant Wolffgangus Crailshemius, & Michael Marschallus ab Ebnet. Vexillum duodecimum cum insigni Zolleriano, gestabat Ioannes-Conradus Volmershusius: Equum ducebant Iobus Lochingerus & Ioannes-Christophorus Adolshemius. Hos equos sequebatur Anno 1603.

Anno 1603. Wolffgangus Comes Castellanus, vexillum gerens, in quo Insigne totius Electoratus & Principatus Brandenburgici coniunctim depictum erat. Agmen vero tandem claudebat Christophorus à Barthein, equo principis cataphractus insidēs. His ita præmissis, procedebat postmodo funus, ab octo equis protractū, qui nigro panno velati, totidem ducebantur nobilibus Marchionis defuncti aulicis, procedebant item nobiles 44. Baiuli funebres, ab vtraque parte octo, cum totidem faces ardentes gestantibus & sex lanceariis, lanceas inuersas gerentibus. Funus ipsum aulæo ex holoserico nigro ad terram vndiq; promisso alba cruce & insignibus principis ornato tectum erat, impositumque sibi gladium cum pugione inaurato habebat. Post funus ibant tres Electoris & duorum Marchionum cubicularii nobiles quos sequebantur Elector ipse Brandenburgicus cum duobus Marchionibus, Christiano & Ioachimo-Ernesto, qui Electorem ab vtroque latere manu ducebant. Procedebant porro Principum & ciuitatum Legati, nempe Principis Ernesti Lunæburgensis: Electoris Palatini; Electoris Saxoniæ; Viduæ Electoris Saxoniæ; Principis Ioannis Palatini Bipontini: Principis Ottonis

tonis Henrici Palatini ; Palatinus Sultzbachicus; Ioannis Casimiri & Ioannis Ernesti Saxoniæ Principum: Mauricii Landgrauii Hassiæ; Ludouici senioris & Ludouici Iunioris Landgrauiorum Hassiæ; Friderici principis Wirtembergici; Barnimi principis Pomeraniæ; principum Anhaltinorum: Landgrauii Leuchtenbergensis; Ernesti-Friderici Marchionis Badensis; Georgii-Friderici Marchionis Badensis; Episcoporum Bambergensis; Herbipolensis; Eystetensis; præpositi Eluangensis: Ciuitatum Norebergensis; Rotenbergensis; Winsheimensis; Schweinfurtensis, & Weysenburgẽsis: Hos legatos, insequebãtur Marchionis Brandenburgici defuncti Consiliarii, Doctores, Medici & Secretarii Onolsbacenses, numero 27. Agmen claudebant octo præcipuarum ciuitatum, Onolsbacensis; Kitsingensis; Schwabacẽsis; Crailsheimensis; Culmbacensis; Hoffensis; Baireutensis: & wonsidelẽsis legati. Postquam omnes hi præcessissent, agmen nouum inchoabant Viduæ principis Magister aulicus wolffgangus-Christophorus Lendersheimius, vna cum aulicis aliarum principum fœminarum magistris aliis, hos fœminæ Principes ipsæ sequebantur, & primo quidem Marchionis relicti Anno 1603.

Anno 1603. vidua, Sophia, quam ducebant Ioannes-Casimirus Saxoniæ, & Christianus Lunęburgensis principes. Deinde Marchionis defuncti Soror, Dorothea Catharina, quā ducebant Wolffgangus-Wilhelmus princeps Palatinus, & Ioannes Sigismundus Marchio Brandenburgensis. 3. Catharina-Sophia princeps Lunæburgensis, relicta Friderici comitis Palatini vidua, quam ducebant Ioannes-Georgius Marchio Brandenburgensis, Administrator Capituli Argentinensis, & Wolffgangus Comes in Hohenloh. 4. Virgo Anna-Maria, princeps Lugnitsensis, quam ducebant Gottofridus Comes Castellanus & Ludouicus-Casimirus ab Hohenloh. 5. Virgo Æmiliana princeps Lugnitsensis, quam ducebant Ludovicus-Eberhardus, & Philippus Comites Oetingenses. 6. Dorothea, princeps Brunsuicensis & Lunęburgensis, Caroli comitis Palatini relicta vidua, quam ducebant Ioannes-Guntherus comes Schvvartzenburgicus & Wolffgangus comes Lewensteinius. 7. Elisabetha princeps Brunsuicensis & Lunæburgensis, Vidua Comitis ab Hohenlo. quam ducebāt Theodoricus Comes Lewensteinius & Albertus Schenkius Limpurgensis Baro. 8. Clara princeps Brunsuic. & Lunæburg.

vidua

vidua Comitis Schvvartzburgensis, quam ducebant Carolus & Conradus Schenkii Limburgenses. 9. Virgo Sibylla, princeps Lunæburgensis, quam ducebant Erasmus Schenkius Limburg. & Henricus Reuss Plauensis. 10. Caroli quondam Comitis Palatini relicta filia, quam ducebant Ioannes-Adamus Wolffsteinius Baro, & Christophorus Ferdinandus Kintzhy, præfectus Cadoltzburgensis. 11. Mechtildis Comitissa Mansfeldiæ, quam ducebāt Wolffgangus-Christophorus Marescallus Bappenhemius, & Wolffgangus Dominus in Heydeck. 12. Sophia Wolffsteinia, quam ducebant Georgius-Fridericus Dominus ab Haydeck & Iacobus à Berchlingen provincialis iudex. 13. Virgo Comitissa Difsoldia, quam ducebant Ludovicus Veit Fuchs à Binbach & Theodoricus Truchses à wetzhausē. 14. Virgo comitissa Schliccensis, quam ducebant Ioānes à Buchholtz & Ioannes wolffgangus à Danhausen. 15. Virgo Sophia, Comitissa Mansfeldia, supremi Marescalli filia, quam ducebant Ioannes-wolffgangus ab Eyb, & Georgius Wilhelmus Senck à Geyern. Agmen claudebant relictæ viduæ gynæceum, cum gynæceo principum aliarum, & nobilium consiliariorum vxoribus. His ita præ-

Anno 1603.

Anno 1603. missis, postremum tandem sequebatur agmen, ex Scribis defuncti principis, Senatorib. optimatibusq; ciuitatis Onolsbacēsis, stabulariis item & aliis ministris aulicis, constans, quod tandem agmen magno numero prædictorum scribarum, senatorum, optimatum, ministrorum Ecclesiæ & scholarum, aliorumq; ciuium vxores, claudebant. Tali igitur pompa & processu ad monasterium Halsbronnense deductus & templo illatus est, cumq; Sarcophago principum more reconditus esset, postorationem funebrem & decantatas nenias, principes nobilesq; alii eodem quo aduenerant ordine, in arcem reuersi sunt.

Ægidius Hunnius Vitebergæ moritur.

Cæterum & Ægidius Hunnius S. Th. D. Professor & Pastor Ecclesiæ Vitebergensis, vel ex disputatione, quæ inter Lutheranos & Iesuitas superiori anno Ratisbonæ instituta fuit, omnibus notus, sub Aprilis initium diem suum obiit: Natus is fuit Windauiæ in ducatu Wirtenbergico Anno 1550. Educatus vero liberalitate principum Wirtenbergicorum, primo in Schola Adelbergensi, postmodum in Maulbrunnensi, & tandem in Tubingensi, vbi Magisterii gradu iuuenis adhuc 17. tantum annorum cum laude ornatus, & anno ætatis 26. in Theologiæ D. cum eruditionem suam iam integro biennio Ecclesiæ

cleſiæ publice probaſſet, legitime promotus eſt. Poſtmodo ab illuſtriſſimis Haſſiæ Landgrauiis Marpurgũ vocatus, per continuos 16. annos legendo, concionando, & diſputando iuuentuti in Academia iſta præfuit profuitq; , donec anno 1592. ad illuſtriſſimi Saxoniæ principis , Friderici Wilhelmi, Electoratus Saxoniæ Adminiſtratoris, feliciſſimæ recordationis, voluntatem Witebergam conceſſit , vbi præpoſiti primum, poſt Superintendentis officio hactenus functus eſt, donec metam & terminum vitæ aſſecutus cum calculi primũ doloribus conflictari cœpit , ad quos catharri poſtmodum perniciosiſſimi concurrentes, vires eius ita attenuarunt, ut 4. Aprilis, Diuo Ambroſio nempe ſacra die, annorum exiſtens 53. inter medias preces & ſuſpiria , anima ſua Seruatori Chriſto commendata, placide obdormierit , non ſine ingẽti Eccleſiæ & Scholæ iſtius luctu. Anno 1603.

PESTA, aduerſo Budæ ad Danubium ſita, eleganti ædificiorum ſtructura, altis turribus, & in ſublime excitatis muris pulcherrima vrbe, cum ſub finem præcedentis anni noſtros potitos eſſe, Vezier Baſſa, in itinere, quo expugnata Alba Regali, copias Conſtantinopolim reducturus diſceſſerat, cognouiſſet, recollecto ſtatim viginti mil-

Vezier Baſſa Caſtra ad Peſtã ſolutis.

Anno 1603. ti millium Barbarorum & trecentorum Valonũ perfidorum exercitu, magnis itineribus progressus revertitur, castra sua ad Pestam nostrorũ castris opponens. Verum cum commeatu & alimẽtis, quæ quidem tantis sufficerent Copiis, instructus non esset, ab ingenti fame castrorum dissipatio breui soluta est, multis equorum inedia extinctorũ carnibus vitam frustra sustentare conantibus. Cum enim & ipsæ deficere cernerentur, consatis rebus omnibus, sub noctem omnibus propter tenebras densissimas passim silentibus, cum vniuerso exercitu mouens discessit, itinere ad Belgradum directo.

Adnihil à nostris occupatur.

Exorto postmodum sole, cum castra Barbaris euacuata nostri cernerent, certoque constaret hostem abiisse, assumptis quinq; militum millibus, tormentisq; nõ paucis, ad Adonium oppidum, quatuor miliaribus infra Budam ad Danubium, satis eleganter extructum, quod velut alimentorum penu & promptuarium Budenses habuerant, terra & aqua contenderũt, Husaris initio qui deditionem expeterẽt, præmissis, quam cum Turcæ facere recusarent, copiæ omnes cum tormentis adductæ sunt, quibus visis Barbari salutem pacti deditionem statim fecerunt. Interea dũ

expu-

expugnando huic castro nostri operam da Anno
rēt, veriti q in castris ad Budā subsistiterant 1603.
milites, ne dispersi ab erumpentibus forsitan hostib. opprimerentur, ad oppidum aquaticum congregati, vni sese propugnaculo incluserunt. Verum Budenses, cum respirandi sibi ab oppugnatione nonnihil loci datum cernerēt, ciuitate subito erumpentes, Castra à nostris deserta occuparunt, donec summa virtute à nostris superati in vrbem rursus propellerentur. Tum vero statim oppugnationem Budæ maiori quam antea vnquam contentione & conatu continuare nostri visi sunt, ita vt turri etiam ad stabulum regium tormentis disiecta, irruptionem facere cogitarent, sed continuis imbribus & tempestate subito maxima exorta, impediti, a telorum tandem coniectione cessare coacti sunt. Cæterum Barbarorum equitum duo fere millia, inter media tela, ciuitate proruentes, impetum in Stiriacum fecere equitatum, sed cataphractis equitibus auxilio Stiriacis mox venientibus, portam cum damno suo repetere coacti sunt. Præcæteris autem in pugna tum ex parte Turcarum enituit quidam thorace & armis aliis inauratis conspicuus, quem plumbea glande percussum, cum equo cadere cernerent,

subla-

Anno 1603. sublatum statim barbari, secum ciuitati intulerunt. At vero cum ingentem Ianitsarorum multitudinem insidiis constitutam nostri ignorarent, nõ parum ex repentina & improvisa illorum irruptione damni perceperunt, quod vt aliquo modo vlciscerentur, coniectis postero die in vrbem aliquot globis candentibus, haud exiguam in ea dederunt cladem. Tandem tamen cum à Tartaris ingenti multitudine Budam subleuatum appropinquantibus, periculum sibi non exiguum imminere cernerent, castra ad Budam soluere, & Pestam commeatu rebusque necessariis omnibus instructam repetere tutissimum rati sunt.

Castrorũ ad Budã solutio.

Post nostrorum igitur ex castris discessum, Barbari recuperato statim suburbio aquatico triumphare & ingenti lætitia exsultare visi sunt, creberrimis tormentorum explosionibus gaudium suum declarantes, cumque à Pesta non abstinerent, sed tela in eam frequentia mitterent, nostri par pari referendum existimantes, tormẽta in eos plurima direxerunt, donec tandem hoc a Barbaris acciperent responsi, parcerent viribus suis, pulueriq; tormentario, & à telorum coniectione abstinentes litis diremptionem ab Imperatoribus vtri-

vtriusque partis propediem instituendam expectarent. Anno 1603.

Cæterum cum annonæ caritate Budenses ingenti laborarent, & periculum esse videretur, ne fame coacti deditionem tandem facerent, congregata est Barbarorum multitudo, ut annonam, & quæ ad victum sustentationemque necessaria essent, Budensibus transveherent, sed à Strigoniensibus nostris intercepti, medio inter Budam & Albam Regalem itinere oppressi fusique sunt, commeatu quo instructi erant, omni ablato, qui postmodum quadraginta currus alimentis variis onustos Pestam transmisere. Verum accepto ea de re nuncio Budenses in occursum eis tendere non cessarunt, cumque iuxta ripam Danubii eos offendissent, Strigonienses hostium mille & quingentorum viribus longe se inferiores fore putantes, currus omnes deseruerunt, quos ita sine pugna feliciter occupatos, Budam statim Barbari traducere conati sunt. At Pestenses hoc cognito, emissis statim duorum millium copiis alimenta ista recuperari iusserunt, quæ syluam, quam transire Budenses oportebat, ingressæ, in duas sese turmas caute diuiserunt, aduentum eorum tacite præstolantes. Appropinquantibus igitur Turcis,

Commeatus Budã transferẽdi à nostris intercipiuntur

Pestenses cõmeatu potiuntur

Anno 1603. cis, pars derepente in eos altera irruere & armis decernere, altera à tergo aduentantes currus arripere & occupare, Barbaris haud parum resistentibus, quibus maxima parte, cum nihil minus cogitarent, trucidatis, recuperata & vindicata alimenta nostri Pestam, vna cum captiuis aliquot feliciter traduxerunt.

Clades Pestiensium. Porro Danubio adhuc gelu & glacie indurato, cum transitus ex Buda ad Pestam per glaciem pateret, insultare Budenses Pestensibus conabantur, qui cum in fugã essent coniecti, ducenti vel circiter Pesta proruentes, fugientes Barbaros in glacie retractos ad pugnam irritarũt, qui magno conuersi numero, totis in nostros viribus insurgentes, ad pontem vsq; persequi fugientes non cessarunt, vbi cum sustinendis Barbarorum viribus non sufficerent, & vero pontem versatilem maioris periculi & damni euitandi causa ab illis in vrbe qui erant attractum cernerent, trucidati ad vnum omnes sunt, Turcis peracto hoc facinore Budam repetentibus.

Oppressio Budensiũ in thermis. Post dies autem aliquot cum tribunus quidam præsidiariorum in Pesta, certa relatione cognouisset, primarios quosdam ex Buda Barbaros, cum duobus Bassis, & nobilium aliquot fœminarum insigni gy-

æceo, ad thermas Budæ vicinas, oblecta- Anno
onis gratia seſe contuliſſe, ipſe aſſumptis 1603.
liquot ſclopetariis militibus, glacici in-
mbulans, Danubium traiecit, felicitatem
alneo ipſorum comprecaturus, quo ſu-
erato derepente lauantes & lætantes, nec
ale quid vel per ſomnium cogitantes op-
preſſit, ſclopisque & gladiis proſtratos at-
que confoſſos omnes, vnico duntaxat pu-
ero, qui præfecti Turcici filius perhibetur,
excepto, morte mulctauit. Fœminarum
autem quæ adfuere cœtus, veſtitu omni
exutus atque nudatus, durante conflictu
iſto, ciuitatem ingenti contentione & cur-
ſu petere, quibus eo quidem facilius à no-
ſtris parſum eſt, quod pudorem & vere-
cundiam, metu in eis & timore nimio ſu-
peratam, atque expugnatam omnem cer-
nerent. Relictis igitur in iſto quod cruore
barbarico tinctum rubebat balneo barba-
ris interfectorum cadaueribus, per glaci-
em eadem qua aduenerant via Peſtam no-
ſtri reuerſi ſunt. Tametſi enim Budenſes
nudarum & metu tantum exanimata-
rum mulierum aduentu excitati, aliquos
qui noſtros perſequerentur, ciuitate mit-
terent, eos tamen in portu & porta iam
verſantes apprehendere non valuerunt.

Annonæ caritas in Peſta.

Cæterum annonę paulatim caritate Pe-

Anno 1603. ſtenſes laborare cœperunt, cumq; propter incommoda & impedimenta varia de alimentis & victu neceſſario ipſis proſpici non poſſet, couſque fames inter eos progreſſu temporis inualuit, ut canesq; & feles quos in cibum aſſumerent, vix ſufficere ipſis viderentur.

Budenſes de commeatu ſibi proſpiciunt.

Contra vero Budenſes expeditionem Adonium verſus ſimulantes, præparationemque modis omnibus facientes, eo cõtenderunt, ſed quingentos interea ſub hoc prætextu currus, alimentorum & armorum commeatu vario onuſtos, feliciter in ciuitatem ſuam perduxere. Quo facto diſpoſita ſtatim in propugnaculo nouo tormenta ænea, ingenti in Peſtam conatu emiſerunt, noſtris haud parum negotii facientes, Quin & Palottam ex improuiſo quaſi occupaturi, noctu excurſum fecerunt, At vero noſtri, quibus in excubiis tum conſtitutis tempeſtiue videbantur, tanta eis virtute reſtiterunt, ut ſpe ſua fruſtrati, cum damno & iactura non exigua recedere cogerentur, Itaq; Palottæ Præfectus, cui Caſparo Horuatio tum nomen erat, orbiculum ſale repletum, cum vini generoſioris laguncula, per colonum, iuramento ſibi obſtrictum, hoſtibus tranſmiſit, hac addita inſultatione: Condirẽthoc

ſale

le carnes quas in venatione hac accepis- Anno
ent, vinum vero pro salute & incolumita- 1603.
e sua biberent & lagunculam euacua-
ent.

Exacerbati igitur hac insultatione Pars mu-
Turcæ, fulminare rursus & crebra tormen- rorum Bu
orum displosione Pestam petere cœpe- densium
runt, quæ tamen omnia, cum non essent tormenta
egitime dispositа, supra ciuitatem sine da- rio pulue-
mno abierunt, Ignis autem inter fulmină- re disiecta
dum, incuria quorundam, in vasculum a-
liquod puluere tormentario repletum, de-
lapsus, disiecta muri Budensis parte non
exigua, multos barbaros extinxit. Altheimius igitur cum audiuisset aditum aliquẽ in ciuitatem per muros disiectos iam quodammodo patere, fortunam suam experiri volens, cum mille Germanis, Husaris vero & Heiduccis trecentis, summo diluculo ad Budam properauit. Verum cum ad quadrantem miliaris aduenisset incidẽs in aliquot equites, conatus eius nimis mature Budensibus innotuit, ut cæsis illis & aliquot captiuis secum abductis recedere quidem re infecta coactus fuerit. Interea Radulensis Vaida cum cognouisset, Tur- Silliſtria
cas Silliſtria ad conquirendum commea- diripitur
tum maxima parte excurrisse, traiecto sta- & igne va
tim Danubio, ciuitatem ex improuiso op- statur.

Anno 1603. preſſam diripuit, & igne vaſtauit, ingentem prædam ſecum inde abducens; quod ex ſignis quidem Turcicis 13. ad præfectum Baſtam, Claudiopolim transmiſſis facile apparuit.

Conditiones pacis inter Lotharingū & Brandenburgū ante hac tempora factæ, quæ.

CVM anno 1593. bellum inter Cardinalem Lotharingiæ, & Marchionem Brādeburgicum de Epiſcopatu Argentinenſi ſatis graue & funeſtum exortum eſſet, mediantibus Cæſaris legatis, pax tandem inter partes his conditionibus facta & firmata fuit, ut ab armis utrinq; diſcederent, militem dimitterent, pacem & amicitiam colerent, primariam litis cauſam arbitrio ſex Principum decidendam relinquerent, qui erant Wolffgangus Archiepiſcopus & Elector Moguntinenſis, Iulius Epiſcopus Herbipolenſis, Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Ludouicus Landgrauius Haſſiæ, Philippus Ludouicus Palatinus Rheni, & Fridericus Wilhelmus Adminiſtrator Saxoniæ. Interea Dux Carolus, Cardinalis Metenſis, in Alſatia retineret Tabernas, Bensfeldiam, Satrapias Bernſteinium, Kochersbergam, Schirmakium, & loca quædam alia, vna cum Moltzemo illi ab Argentinenſibus reddendo. Marchioni autem Brandenburgico viciſſim cederet Satrapia Dachſteinium cum arce & pagis

pagis ei subditis, Monasterium cum granario, prouentus in Obernehenheim & in eodem oppidulo dimidium Marlenheim, Satrapiæ quoque Wentzenouia & Reichstatter, Wyersheim zum Thurn, Marckelsheim, Oberkirch vltra Rhenum, Ettenheim & Grauenhausen, &c. Anno 1603.

His quidem conditionibus pax tum temporis facta, & ad nouem annos conseruata est, ubi lis ea composita quidem sed nondum penitus sopita iterum inter partes recruduit ita ut ad arma utrinque ventum sit. Lotharingus enim pagos & loca alia, vi summa Brandenburgico absenti, erepta occupauit, præter Dachsteinium, quod saluum adhuc & incolume singulari præfecti sui, cui Michaeli Schwarzio nomen erat, virtute & magnanimitate conseruatum, restabat, cuius tanta magnanimitas fuisse dicitur, ut cum videret scaturigines fontium, nefariis hostium conatibus impediri, & ab arce auerti, ut ita aquæ usu qui in ea essent priuarentur, hilari hostibus animo per ministrum responderi iusserit, se propterea animum nequaquam despondere, non enim inuidere se hostibus suis aquam, cum tantum adhuc in arce vini habeat, ut eius etiam partem, citra iacturam suam ipsis communicare queat.

Motus Cardinalis Lotharingici ad Dachsteinium.

Anno 1603. Quamuis igitur etiam molendinorum usum illis qui in arce erant, Lotharingus subtraxisset, maxima tamen pluviarum, & continua per aliquot dies imbrium tempestate, aquæ ad eam excreuere altitudinẽ, ut molendinis iterum uti potuerint, sed & tumultu hoc tam periculoso excitati Brandẽburgici, militẽ contrahere cœperunt, & Argentina egressi, ad manus cum Lotharingicis, vires eorum velitari pugna aliquantum exploraturi venerunt.

Inducia inter Brãdenburgicum & Lotharingicum Cardinalem.

Cum igitur ad bellum omnia inclinare viderentur, magnusque inde per uniuersam Germaniam iterum motus timeretur, adlaboratum est singulari Regis Galliæ prudentissimi interuentu, ut cum in nouas quidem pacis conditiones utrinque propositas consentire partes non facile possent, induciæ tamen ad 13. menses constituerentur, quo tempore pax vera firmari & constitui, utraque parte de voluntate sua aliquid remittente, posset, dimisso interim ab vtraque parte exercitu, præter milites centum, præsidio in Dachstein constituendo relictos, Galliæ enim Rex cum ex diligenti inquisitione cõstaret, Granalium Blaueti in Bretagnia quondam præfectum, una cum suo subpræfecto coniurationis Bironicæ reos esse, & ciuitatem

Cõpositio reliquiarum de cõiuratione Byronica.

suma

suam Hispanis tradere voluisse, ut supplicium tanto crimine dignum luerent, elisis cruribus, rotæ imponi vtrumque præcepit. Hoc exemplo admonitus Grand prior, cum se æque coniurationis istius reum sciret, ad pedes Regis publice prouolutus, supplici voce veniam rogare cœpit, cumq; indicatis præcipuorum coniurationis huius autorum nominibus, secretiora eorum consilia aperuisset, perpetuam captiuitatem sibi destinatam, interueniente tamen etiam aliorum intercessione, euitauit. Cognitis igitur hoc modo nominibus eorũ, qui cum Bironio conspirauerant, non extremo in omnes rigore animaduertẽdum, sed beneuolentia potius & humanitate eorum expugnandos animos, statuens, publico edicto omnibus veniam proposuit, qui intra duos menses delictum professi, deprecarentur, quo modo Auerniæ quidẽ Comes coniurationis pœnam euitauit, Ad pedes enim Regis prostratus delicti veniam petiit, coniurationis huius causam se nullam habuisse aliam, professus, quam æs alienum, quo oppressus etiam nunc teneretur, itaque non in gratiam solum à Rege receptus, sed & mensæ adhibitus, & domum ut tranquille ibi viueret, solutionem æris ipso Rege faciente, dimissus est. Anno 1603.

Anno 1603. His ita peractis fœdus quoque cum Heluetiorum pagis confirmatum est, Legatis enim ultra quadraginta conuenientibus, iuramentum in Cathedrali Parisiorum templo utrinque præstitum est, ubi inter alios Legatus quidam Bernas 25000. coronatos solares, Bernatibus annuatim numerandos, obtinuit, accepta simul muneris loco torque aurea, precium 1500. coronatorum adæquante.

Interim non pauci diuersarum prouinciarum præfecti Lutetiam, una cum Duce Guisio & Lauerdino Mareschallo salutatum Regem conuenere. Inter alios vero Nobilis quidam per Bourgii in Bressa præfectum eo destinatus est, qui Regem moneret, Hispanos in Sabaudia cateruatim subsistentes, aliquid monstri alere, sibi igitur rebusque suis diligenter uti prospiceret atque caueret, itaque Espernonio statim Duci hæc commissa prouincia est, ut Metim profectus, propugnacula omnia diligenter perlustrata, præsidiis & munitionibus firmissima redderet, non paucis simul hac occasione Priuilegiis dictæ ciuitati concessis. Cæterum Espernonius Metim veniens ab arcis præfecto, Saboliio quodam, ut in arcem intromitteretur, impetrare non potuit, quod singulari priui-

legio

legio arcem sibi commissam praetenderet, unde factum, ut ciues sinistre de dicto praefecto suspicantes, munitiones aduersus arcem obiicerent, responsum tamen Regis, quem ea de re certiorem fecerant, expectantes. Hac igitur occasione Rex ex Gallia vocatus cum sex peditū & tribus equitum millibus Metim profectus à ciuitate ista quam honorificentissime exceptus est, cuius postmodum etiam singularis prudentia motum Argentinensem ut antea diximus, ad tempus sedauit. Reuersus autem iterum in Galliam, nobilem aliquem in vincula coniectum reperit, qui arcu chalybeo & sagittis veneno infectis, instructus, de Rege per insidias è medio tollendo cogitationem susceptisse dicebatur. Anno 1603.

Rex Gallia Metim profiscitur.

Post insidias Geneuensibus à Sabaudiæ Duce structas, fœderis quod Geneuensibus cum Heluetiis intercedit, memores Bernates, Basilienses, Tigurini & Schaffhusii, mille eis milites suis sumptibus alēdos, in auxilium miserunt, hac addita promissione, se si necessitas id expostulare videretur, mille adhuc alios suis sumptibus auxilio missuros esse. Itaque Geneuenses cum exercitu peditum quadringentorum, equitum vero centū & viginti paulo post ciuitate egressi, irruptionem in Sabaudiæ

Res Geneuenses.

Anno 1603. ducis regionem fecerunt, superataq; & maxima ex parte trucidata equitum cẽturionis Vitrii turma, Charmontum cum arce quadam & pago adhuc altero, oppidumq; S. Iuliani igne vastarunt. Quin & quingentos fermè Neapolitanos milites, qui præsidio & defensioni finibus dati fuerant, trucidarunt, & excursionem novam meditantes, cum armata sexcentorum militum manu, munitiones ad S. Iulianum firmare cœperunt. Interea vero à Sabaudis præventi, cum domum redire cogitarent, viam sibi omnem præclusam viderunt ut elabendi rationem nullam inuenientes, transitũ per medios hostes facere, & vi summa reditum ad urbem parare cogerentur. Postmodo factis in Pontarbe, loco nimirũ ciuitati suæ propiori, & à periculis tutiori munitionibus, Sabaudiæ Duci creberrimis suis excursionibus molesti admodũ & pernitiosi fuerunt, pagos nimirum & oppida igne deformantes, & Genesdostam, 12. miliaribus à Geneva distantem, occupantes præsidioq; 400. militum firmantes. Sabaudus igitur licet militum octo fere millium exercitu instructus esset, pacem tamen bello præferendam ratus legatos suos Genevam mittit, qui de pace cum ciuitate tractarent, Bernates similiter hoc nomine

Sabaudus pacẽ à Geneuẽsibus expetit.

mine compellans, qui quod rupto fœdere fidem violasset grauiter conquesti, se nisi sufficienti à Sabaudo facta cautione, pacis rationes inire, & in conditiones propositas cõsentire velle aperte negabãt, distinctis. n. paulo ante vicibus & locis variis comitia belli huius nomine celebrarãt, & lustratis subditis suis, in singulas horas vti parati essent pceperant, ad futuri Geneuensibus quam primũ de auxilio cõpellarentur, literas etiam Freiburgũ scripserãt, ciuitatẽ istã monẽtes, ut si res in neruum erũpat, & aperto Marte cum Sabaudo congrediendum sit, auxilia Geneuensibus mitterent, ni patronicio Bernatiũ excidere & omnium quæ in finibus haberent jacturam facere vellent, itaq; ciuitates Catholicæ, lustrationem ciuium & subditorum suorum omnium generalem facere statuerunt, ut in omnem euentum subditos suos paratissimos haberent, Pace enim inter potentissimos Galliæ & Hispaniæ Reges, Anno 1598. facta, fœdus sancitum est, & una cum Sabaudiæ Duce Geneuenses quoque & Heluetii ei inserti, ut ita nulla iam amplius inter partes confœderatas bella timẽda essent, Hoc igitur fœdere pSabaudum iã violato, Gallicus militũ tribunus Lãdighuerius sibi etiam aliquid aduersus prædictum Anno 1603.

Anno 1603. ctum Ducem tentandum ratus, exercitum ad Giambrium ciuitatē Sabaudo subiectā adduxit, quorū aliqui portas adhibito instrumento quod Pedartum vocant aperientes, ciuitatem iam inuaserant, cum subito in ea exorto clamore ciues ad arma excitantur, qui comprahensis quotquot portas perruperant omnibus, tanta reliquis virtute restiterunt, ut conatu irrito pedem retrahere cogerētur. Atqui Sabaudus hisce conatibus permotus, cū præsertim 16. tormenta magna ad locum alium qui ipsis Giglies dicitur, traducta esse inaudiret, & de auxilio sibi ex Italia per Comitem Fuentium transmittendo, subdubitaret, Albiguio & Rochetano in mandatis dedit, ut in constituenda pace, omnē mouerent lapidem, qui cum omnia tentassent, cautionem tamen de non offendendo sufficientem præstare non possent, effectu suo tractatio hac etiam vice susceptā caruit.

Sub finem autem Maii, cum conueniri inter partes de conditionibus pacis non posset, bellum à Geneuensibus contra Sabaudum publicatum est, quo facto, adfuit paulo post Geneuensibus à Comite Fuentio legatus, qui quam ob causam Hispaniæ Rex Subaudiæ Ducem pacis fœdere cum

Gallia-

Galliarum Rege anno 1598. inito, com- Anno
prehendi voluerit, longa oratione cum 1603.
exposuisset, monuit tandem Geneuenses,
pacem vti cum Sabaudo facerent & oblatas conditiones non detrectarent, secus enim si facerent, fore vt in Regis Catholici odium incurrentes, bellum sibi abeo periculosissimum attrahant, qui non fœderis solum, sed & consanguinitatis & affinitatis, quæ cum eo ipsi intercedit, causa, vtilitatem & conseruationem huius Ducis, non secus ac suam ipsius salutem sibi commendatissimam habeat. At Geneuenses in duos sese articulos à Sabaudo requisitos consentire non posse protestati, si omnino odium & arma Hispani euitare nõ possint, paratos sese esse, sociorum quidẽ & vicinorum suorum auxilio fretos ea sustinere, & vim omnem à ceruicibus proprii sua propulsare, audacter respondérũt, contractisque statim maioribus copiis, ut in omnem euentum paratissimi essent adlaborarunt, de ratione similiter sese conra globorum ardentium pericula tuendi, cogitationem suscipientes.

Præparatio ad nuptias Vezier Bassæ.

Spem fecerat Imperator Turcicus Vezier Bassæ de Sorore sua matrimonio iungenda, sit recuperata Alba Regali dum se tam illustri matrimonio proba-

ret,

Anno 1603. ret. Re igitur ibi feliciter gesta, cum Constantinopolim reuersus esset, non solum magna cum lætitia exceptus est, sed omnia etiam ad futuras nuptias paratissima inuenit. Interea vero Ianitschari milites inter Barbaros ferociſſimi, animaduertentes bellum quod aduersus rebelles in Asia geritur parum recte administrari, Ducibus & præfectis Sultanicis, cum seditiosis & rebellibus istis clam aliquo modo facientibus, electo ex 25. præcipuis sui ordinis viris, capite seu Duce quodam, turbas dare & seditionem mouere visi sunt, ædes dicti Vetzier Bassæ armata manu cingentes, qui viso hoc tumultu & causa eius perspecta confestim ad Sultanum uti admitteretur atrocibus minis expetiit. Admissus vero quid causæ turbarum milites haberent exponens, petiit, ut pro seditione hac matura comprimenda & causam ipse cognosceret, & in eos qui suspecti militibus essent animaduerteret. Itaque vocati statim sunt quotquot à militibus nominabantur Duces, & in militum præsentia capite truncati.

Calil Bassa capite multatus

Cæterum cum Calil Bassa, ex bonis Capi Agæ affinis sui capite truncati, 400000. coronatos detinuisset, eosque Sultano hac de re inquirenti constanter negasset, capite sta-

ſtatim & ipſe truncatus eſt, vxore libe- Anno
sque & uniuerſa eius familia captiuitati 1603.
ancipatis, bonis vero eius omnibus fiſco
ltani applicatis. Rigorem hunc animad-
rtentes Mamut Baſſa, una cum ſuis ad
ebelles in Aſia cõcedere cogitauit, verũ
nſilio ſuo mature patefacto & inſtanti-
is diligentiſſime Ianitſcharis, poſt diligẽ-
m inquiſitionẽ comprehenſus, una cum
bpræfecto Capi Agæ in fruſta diſſectus
. At uero cum Rebelles in Aſia, cum in- *Tumultus ad Angoriam ciuitatem.*
ntibus copiis oppugnatũ ciuitatem An-
riam pergerent, ciues ingenti pecuniæ
mma, 200000. nempe coronatorum, i-
is oblata, pacem redimere conati ſunt, o
noui poſtea Duces, quos præfectis vete-
. ſublatis, Sultanus bello contra Rebelles
rendo pfecerat, id cognouiſſent, ciuita-
n iſtã diripere conati ſunt, At ciues ingẽ
conatu in eos inſurgẽtes, vltra quingen-
s milites trucidarunt, reliquis in fugam
nuerſis. Videntes vero hoc Rebelles, qui
ami Tartarici fratrem ex turri quadam
palude Mœotide, ubi captiuus diu deli-
erat, liberatum, ſecum iam habere & nu-
erum quadraginta millium excedere di- *Burſia à Rebellibus in Aſia expugnata.*
ntur, regiam ciuitatem Burſiam, quæ
nſus & tributi Sultanici ſemper antehac
eptaculũ fuerat, ui ſumma expugnant.

Quam-

enim breui ut filium ſuum diademate Anno
ſignitum & honoribus imperii auctum 1603.
deret. Aſt ô cæcum huius Aſtrologi in-
mnium! Interceptis enim & ad Sultanũ
latis literis, ipſemet cum Eunucho, pro-
ribusq; 50. aliis comprehenſi, pœnam
entes, laqueo ſuffocati ſunt.

De Chami Tartarici, cum abominan- *Tartarorum in Hungariam aduentus.*
& innumera Tartarorum manu ad Hũ-
riæ fines aduentu, rumor non inanis ſub
nem præcedentis anni ſparſus eſt. Miſſis
im ad Poloniæ fines legatis, à Rege Po-
niæ tributum petierunt & tranſitum. At
im de tributo quidem Polonus annue-
t, tranſitum vero ipſis hac vice plane de-
egaret, ad Valachiam iter ſuum dirigen-
s per Waidæ Radulenſis ditionem erũ-
ere conati ſunt, qui cum id moliri Tarta-
os inaudiſſet, ut ſe eiecto, alium aliquem
alachiæ præficerent, congregato ſtatim
xercitu, ad Valachiæ fines contendit, ut
ſe aduenientibus Tartaris præſentem ſi-
teret & exhiberet, cum quibus deinde ita
imicauit, ut duobus præliis ultra tria mil-
a Tartarorum occubuerint, verum cum
ertio conflictu ad manus ventum eſſet,
oſt pugnam ſtatariam admodum cruen-
am ingenti tandem conatu per regionem
ſtam penetrarunt. Superatis igitur finibus

Anno 1603. istis, Chamus quidē ipse fixa ad Quinque-Ecclesiam sede, pśente Hassan Bassa lustrationem exercitus sui instituit, numerum 40000 inueniens, qui facta in Budiani ditionem impressione, ab eius in pagis & oppidis habitantibus subditis plerisq; iuramentum fidelitatis atrocibus minis extorserunt, & ingentem uti pecuniæ farinæque vim in Canisiam arcem afferrent imperarunt, addita sæuissima commination̄e, se ferro & igne, ni imperatis obsequentes forent vastaturos omnia. Quin etiam cum vxoribus liberisq; cateruatim in Stiriam pruentes, ingens in ea prouincia damnū dederunt, duobus hominum millibus circa Coramantum, quod proximum in finib. istis à Canisia propugnaculum est, secum abductis. Alii facta ad Scharuariā excursione ex 20. pagis igne subuersis atq; vastatis, mille circiter animabus, cū ingenti præda potiti sunt. Itaque ut huic malo mature obuiaretur Collonitsius, qui equestris ordinis dignitate & priuilegiis à Cæsare nuper donatus erat, magnas aduersus eos copias contraxit. At illi facta etiā in Varadinū minus irruptione, ad duo usq; miliaria procedentes, 25. pagos & oppida diripuerunt, homines q; & pecora promiscue omnia abigentes, cohortem aliam in Comitis Serinensis

Collonitsius cōtra Tartaros proficiscitur.

Insulam

Insulam, & consequēter Rackensburgum miserunt, aliquot millib. secum inde Christianis abductis. Cæterū cū Collonitsiū ad fines istos decē millib. armatis instructum cōcessisse audirent, pedē figere, & locum aliquem ubi constanter permanerēt, eligere recusarūt modo hic modo alibi apparētes. In Sclauoniā v. cū triginta milliū manu irruentes desolata passim ad Agramū usq; vniuersa regione, mille animas cū ingēti prēda abduxerūt, & 600. insuper exercitatissimos milites, internecioni dederūt, sed inci dēs forte Serinii Comitis copias cohors ali qua fusa & fugata est, maxima Christianorū parte ex manib. eius iterū liberata. At vero Collonitsius cum exercitu suo Canisiam versus ꝓfectus, in sylua, itinere unius miliaris ab arce, excubiis tamē ad miliare dimidiū constitutis subsitit, interea quinq; ex arce ꝓgressi Turcę in Haiduccos incidē runt, q trucidatis tribus, unum secū captiuum abduxerūt, quinto per loca palustria manus eorum elabente & arcē rursus assequēte, qui cum neminē ꝑter Haiduccos illos vidissent, strepitum v. in sylua & sonum bombardæ, quē similiter etiā in arce Canisienses audierant à speculatorib. quibusdā forsitā ꝓfectum credidissent, quid Iociis suis ab Haiduccis accidisset Canisiensib. retulit, quorū quadringēti statim Haiduccos

Anno 1603.

Canisienses à Collonitsio cæsi

Anno 1603. oppressuri arce egrediuntur. At in Collonitsii incidentes exercitum ita sunt excepti, ut ducentis eorum trucidatis, centum & triginta viui in nostrorum peruenerint potestatem. Acceptam hanc cladem ut vlciscerentur Canisienses, Gallum quendam à Christianis sese defeciſſe, egregie simulantem admittunt, sperantes eius sese ductu ad castra Collonitsii optime peruenturos, & damnum Christianis maximum daturos. At ille circa commeatum arci inferendum cum occupatos admodum Canisienses cerneret, subiecto in diuersis locis igne, tantum excitauit incendium, ut arce tota, cum uniuersis quæ in ea erant bonis, funditus deleta, rotæ tormentorum & ædificia ex parte meridionali & occidentali fere omnia conflagrarint, paucis tantum in parte orientali conseruatis. Tam enim subitaneum & properans incendium hoc fuit, ut vix thesaurum suum flammis eripere Bassa potuerit, & Turcarum plurimi vitæ suæ timentes, propugnaculo se subduxerint, at à Collonitsio partim capti, partim trucidati sunt, qui præ foribus, non procul ab arce existens, expugnationem summis viribus moliebatur, impetrasset nisi à Valonibus ob solutionem stipendii intempestiue tum rebellare incipienti-

Canisia arx incẽdio deleta.

entibus desertus fuisset. Interea dum hæc ad Canisiam agerentur, collecti ad Iauarinum ex Alba Regali Turcæ Tartarique plurimi, mille pecorum capita cum ingenti hominum multitudine prædam egerũt. At hoc cognito Hussari, ad Albæ Regalis vsque pontem eos insecuti, maximam partem vindicarunt, quod Iauarinis tamen parum profuit, recuperare enim inde nisi præsenti pecunia, nihil potuerunt, quamuis cum lachrymis restitutionem misere deprecarentur. Anno 1603.

Collonitsius porro spe sua ad Canisiam frustratus, Turcis nimirum & Tartaris magna copia, reparatum propugnaculum ibi confluentibus, & 16. ingentibus tormentis in opere constitutos, munientibus, minorem Comorrham versus cum suis contendit, ubi in duo millia Turcarum incidens, quingentos fere trucidauit, acceptaq; aliquot signa, una cum captiuo quodam Barbaro primario Pragam transmisit, ex quo facta inquisitione, postmodo perceptum, Turcas Bosnenses coniunctis cũ Chamo Tartarico viribus, Sclauoniam ingressos Castellis vel propugnaculis octo deletis, pagos innumeros diripuisse, comprehensosq; 8000. Christianos, præter eos qui vel gladio vel igne perierunt, una cum

Collonitsius Turcas ad Comorrhã cædit.

andum & resistendum. Incidentes a. paulo post in Hispanicam quandam Anglorum naues, 400. Saccharo optimo repletas arculas lucratæ sunt, eumq; duæ ex illis Brasiliam versus progrederentur, altera in portum quendã delata ex 30. Lusitanis nauiculis, quas ibi mercib. variis oneratas offendit, 1500. Saccharo repletas arculas, 4. celocibus quas ex Lusitanicis elegerat, secũ abduxit. Altera superatam in mari nauim Hispanicam aliam, mille Saccharo repletis arculis exuit. Sed & Classis Anglica, in mari non procul à Marsilia pdiuitem quandam nauem offendens bonis omnib. spoliauit, ex quibus postea, licet vili precio diuenditis, 80000. tamen coronatorum summam lucrata est. Anno 1603.

Classis Lusitanica ad Bantamum diuersa.

De Batauorũ vero classe, celox Amstelrodamũ aduenies pnunciauit, cã cum in fretum Sundicum veniisset, obuios quosdã in Cymba piscatoria nauigantes habuisse, à quib. moneretur, Classem Lusitanicam triremium 8. cum prasidiariis nauibus 22. ad Bantamum subsistere. Intellecto igitur hoc nuncio Nauarchus, cõuocatis in vnũ locum nauibus, consultationem, qua quid factu optimum videretur, communicatis consiliis concluderent, instituit, cumq; cõsultum non esse cernerent, conuersis velis, sine fructu domũ redire, consignato & re-

Anno 1603. cognito armatorum in nauibus numero, classem Lusitanicam adoriri & in oppugnanda ea vires suas experiri decreuerunt, sequenti igitur statim die, secundo ad eam vento delati Batavi, fulminare & tormenta magno impetu emittere cœperunt, Lusitanis consimili tormentorum explosione ipsis respondentibus. Pugna autem hac per 6. dies continuata, cum Lusitani viderent triremes & naues suas impetum istum sustinere non posse, naues vero Hollandicas neque ex tormentorum explosione, neque ex ardentium triremium immissione damni quicquam contraxisse, receptui canendum rati, Amboinam Insulam, ubi propugnaculum habebant, petierunt. Itaque profligatis nauibus istis, qui Bantamū inhabitant, omni honore & beneuolentia Batauos prosecuti sunt, gratias ipsis agentes maximas, pro classe ista disiecta, qua ciuitatem suam oppugnatum Lusitani aduenerant. Recollectis autem viribus ad Insulam Teneratam Macis & nucum myristicarum colligendarum gratia appulerunt, cumque pro omnibus simul nauibus plenariam inuenire vecturam nō possent, oneratas tres domum præmiserunt, reliquæ vero duæ ad Insulam istam subsistentes, maturitatē Caryophyllorum expectare de-

re decreuerunt, quorum satis copiosum incolæ tum prouentum sperabãt. Domum autem sub finem Aprilis una cum quinque aliis, quos in itinere sibi coniunxerant, reuersæ, insignem aromatum varietum copiam, nimirum piperis 130200. Caryophyllorum 128300. Nucum myristicarum 650400. Macis 99800. & Cubebarum 9901. libras attulerunt. Singulari autem Dei beneficio portum saluæ & incolumes hæ naues assecutæ sunt, cum non solum à tempestatibus & procellis maximis in Hollandia passim & Selandia tum furentibus, naues aliæ & ædificia damni plurimum perceperint, sed & Dunkerkani Gallicis quibusdam Mercatoribus, sex naues onerarias, quas variis mercibus & pecunia onustas Rupella, Amstelodamum miserant, in mari hoc tempore ripuerint. Anno 1603.

Multa aromata in Hollandia allata.

Cæterum cum nauigationes hoc tempore admodum periculosæ existerent, piraticis Hispanorum, Batauorum, Anglorumque nauibus totum mare infestum reddentibus, ita ut vix inter amicos & hostes discerneretur & diuersoru etiam principum ad Regiam Angliæ Maiestatem legati, vix à periculo tuti essent, prudentissimus & pacis colendæ studiosissimus, Angliæ nuper designatus Rex Iacobus I. recor

Mandatũ in Anglia de piraticis nauibus abrogandis pro mulgatũ.

Anno 1603. datione fœderis, ꝙ sibi cũ Hispano intercederet, & ut exemplo etiam suo aliis ad idem faciendum præiret, mandatum per vniuersum Angliæ Regnum promulgauit, quo notum sese faciens vniuersis & singulis Angliæ subiectis, amicitiam sibi intercedere & pacem cum omnibus totius Christiani orbis principibus, eam sancte ex sua parte conseruare, & ne à quoquam subditorum suorum interrumpatur, modis omnibus p̃cauere se decreuisse affirmat; cũ autem nõ ignoret, Sorori suæ defunctę Reginæ Elisabethæ, bellum aliquot annis cũ Hispaniæ Rege fuisse, quæ ꝓpterea in detrimentum hostis sui naues aliquot piraticas, variis armis & rebus ad bellum necessariis instruxerit, subditisq; suis omnibus idem facere permiserit, qui postea pro singulari, quo erga Reginam & utilitatẽ publicam flagrabant amore, nullis sumptibus parcentes, naues piraticas multas construxerint, spe commodi & publici & priuati, cum cõmunis hostis sui detrimento ꝓmouendi, præsertim cum de retinendis q̃ hac ratione acquirerentur bonis, spes cuilibet facta esset, Quia igitur cum morte Reginæ bellum etiam hoc finem suum iam inuenerit, ut constet quo erga Regnum & Regni subditos uniuersos sit animo, & ꝙ uti salutem publicã, sic priuatam etiam singulorũ

utili-

utilitatem fauore vere paterno prosequatur, constituere se, ut quicquid bonorũ hactenus ad 24. vsque Aprilis (quo quidẽ die, aduentu suo honorifico omnem sustulerit inimicitiã) in mari Hispanis ereptũ sit, retineatur à possessoribus. & tãquam legitime acquisitum in vtilitatẽ priuatã conuertatur, si vero post dictum 24. April. diem vel nauis aliqua intercepta vel bonorũ aliquid Hispanis, titulo permissionis regiæ, terra mariue à quoquam Anglorum ereptũ sit, id omne legitimis suis dominis, absq; ulla tergiuersatione, quamprimum requisitum sua bona advenerint, restituatur. Mandare insuper seueriſſime, ut à direptionib. istis imposterum omnes abstineant, nec quisquam vel piraticam ipse exercens principũ confœderatorum subditis insidias struat, vel piratis fauens, hospitio & patrocinio eos suo dignetur, sub pœna piratis debita, capitali & confiscatione bonorũ omnium, transgressoribus huius mandati, per præfectos & magistratum in Anglia gerentes, quos simul officii sui admonuit, absq; vlla vel mora vel exceptione irroganda. Anno 1603.

Ostendana obsidio quæ Anno 1601. ad Flandrorum petitionẽ ab Archiduce Alberto incepta est, magna etiamnũ contẽtione cõtinuatur, ordinib. cõfœderatis de retinẽdo, Archiduce v. Alberto de expugnãdo op- *Obsidionis Ostendanæ continuatio.*

Anno 1603. do oppido, ingenti conatu laborantibus. Et Ordines quidē confœderati nihil quicquam, quod ad loci defensionem pertineret hactenus intermiserunt, mutat sque subinde præsidiis, & recēti illato commeatu, militum animos confirmarunt, contra vero Hispani circa portum oppidanis intercludendum strenue laborarunt, sed conatu tamen parum felici, vallis & aggere in Ipperlæa fluuio oppidum alluente, & parte ea qua in mare exit sinum portumq; recipiendis nauibus conuenientissimum faciente, magno labore excitatis, ab æstu maris statim iterum distractis atq; turbatis. Itaque cum vi potiri oppido vix posse se putarent, facta sub finem anni præcedentis cum præfecto vigilum conspiratione, de eo sibi per proditionem tradendo, clam egerunt. Verum proditione mirabiliter detecta, autor cum consilii sui sociis in vincula coniectus, & Hagam comitis abductus est, ibi cum examinatus rem omnem aperuisset, Ostendam remissus, pœnam proditoribus debitam subiit, corpore in quatuor partes dissecto, omnibus terrori existens. Simul vero tum ultra centū nauigia nouo commeatu onerata, in portum feliciter confœderati traduxerunt, itaque in parando nouo opere, quo portum

Proditio in Ostēda detecta.

tum ciuitatis clauderent, tranſitumque o- Anno
mnem impedirent, dies noctesque ab Hi- 1603.
ſpanis deſudatum eſt, donec aggeſta ad ipſam Canalis oram multo labore terra, planum quaſi aggerem (ipſi planã formam vocabant,) pararunt, tunc. n. multis quæ ibi diſpoſuerant tormentis ciuitatem peterealacriter cœperunt. At qui in præſidiis erant, directis ſtatim in aggerem iſtum tormentis aliquot maioribus, omnem ipſorum conatum irritum fecerunt.

In comitiis quidẽ Arnhemii ſub finem præcedentis anni celebratis, in eam aliqui partem inclinare viſi ſunt, ut cum non ſolum pecuniæ multum, ſed & copioſam humani ſanguinis profuſionem conſeruatio oppidi huius requirere videretur, deſerendum potius, quam cum tanta & bonorum & vitæ multorum precioſiſſimæ iactura, defenſioni eius diutius incumbendum putarent, ſed præualuit tamen potiſſimæ Ordinũ confœderatorum partis, contraria tandem ſententia. Cum enim animaduerteretur, nauigationes non ſolum, quæ in Angliam & Galliam frequenter fiunt, amiſſo hoc oppido, difficiles futuras (breuis enim inde in Selandiam, Angliam & Galliam traiectus eſt) ſed & piratarum nequitiæ feneſtram apertum ampliſſimam, & or-

Ordinum de Oſtenda medis omnibus conſeruãda conſultatio.

Anno 1603. & ordinibus in Flandriam transitum denegatum viri, vnanimi sententia concluſum est & decretum, oppidum hoc modis omnibus conſeruandum esse, præsertim cũ ea sit firmitate, ut vel à mediocri propugnantium numero defendi possit, & licet ab ea parte qua mare spectat nudantibus seſe ab æstu maris recedente, arenis, infirmius aliquanto esse videatur, paucarum tamen horarum id periculum sit & eodem æstu rursus affluente, oppugnantibus nulla parte magis formidabile existat, Hoc si conſideraſſent aliqui non tam facile affirmaſſent Ordines cõtinua & diuturna oppugnatione fractos, obsidionem prima æstate soluturos, exercitu in Flandriam traducto, Nec Wilhelmus quidam Baſelier ciuis Amſtelrodamius, de Oſtenda intra breue tempus ab Hiſpanis occupanda & poſſidenda 33000. Carolinorum ſumma depoſita, in 40000. poſtmodo libris fallere coactus fuiſſet.

Hiſpani tria propugnacula ad Oſtendam occupant.

Verum quidem est Hiſpanos in Aprili, tria minora propugnacula, quorum ſingula 50. excubitorib. firmata fuerant per proditionem pfecti cuiuſdã vigilũ, cum octo militib. ad caſtra Hiſpanorũ tranſeũtis occupaſſe, verum cum extrema illa multis adhuc paraſangis, ut ita dicam, à vallo, quo duplici ut & duplici foſſa oppidum vndiq; cin-

einctum est, abessent, & vero cum duo ad- Anno
huc alia, eadem dexteritate occupare cogi- 1603.
tarent, damnum feciſſent non exiguum,
nihil adhuc o: dinib. inde magnopere ex-
timeſcendum fuit, qui nihilominus tamẽ
ea poſtero die recuperatum magno nume
ro ciuitate eruperunt, ſed cum ingẽti ſuo-
rum clade pedem referre coacti ſunt, Hi-
ſpanis ſummo conatu munitiones aduer-
ſus ciuitatem firmiſſimas agentibus. Cẽte-
rum Albertus felici hoc ſucceſſu cõmotus,
ne ſuis partib. deeſſe videretur, contractũ
ſumma celeritate nouum exercitum, ca-
ſtris ad Oſtendam immiſit, præſertim cum
ex Selandia relatum eſſet, multa ibi mino-
ra nauigia eo fine parari, vt Ipperlæa fluuio
forte obſtructo, ad portum occidentalem
ſeſe conuerterent, qui licet non altus qui-
dem ſit aut capax admodum, ab vnda ta-
men maris vi in terram irrumpente, Cana-
lem habet oblongum, & ultra viginti paſ-
ſus latum, tãta profunditate vt nauigia fa-
cile admittat, Quin & hoc referabatur, mul *Nouus ex*
tas in Selandia naues nouo exercitu, tor- *ercitus in*
mentisq; & cõmeatu vario inſtructiſſimas, *Oſtendã*
venti ſolũ & tẽpeſtatis commoditatẽ ope- *traductus*
riri, ut Oſtendã rurſus ſubleuarẽt, q̃ quidẽ
fictum aut temere excogitatum non fuiſſe
euẽtus paulo poſt declarauit, cũ illarum in
portum feliciter receptarum beneficio o-
mnes

Anno 1603. mnes ægroti & vulnerati milites in Selandiam ex Ostenda rursus sunt traducti.

Novus hic exercitus nouam in Ipperlæa fluvio moliri statim munitionem, quam dimidiam Lunam vocabant cœpit. Itaque Hispani eam ingenti vi occupaturi, insultationem aliquoties tentarunt, verum assidua tormentorum ex ciuitate explosione inde deterriti sunt, cumq; dolo desertum propugnaculum aliud, ipsis Beckaff vocatum, læti & alacres occupassent, sub noctem statim affluente rursus & insurgente maris æstu, ut iuuari à suis non possent, ab oppidanis oppressi, undis partim suffocati partim trucidati, vitam misere finierunt.

Vt autem tria ista propugnacula, quæ ab Hispanis per proditionem quorundam ex confœderatis, qui precium 200. Philippicorum singuli acceperant, nuper occupata diximus, recuperarent, munitionem adhuc aliam quam similiter dimidiam Lunam vocarunt, superiori, fortiter quidem Hispanis, sed frustra tamen resistentibus, coniunxerunt, perfectis igitur duabus hisce munitionibus, & multis in propugnacula ista directis tormentis, perpetua explosione adeo molesti Hispanis fuerunt, ut nihil contra tentare se posse videntes, cedere tandem & propugnacula deserere cogeren-

Ordines amissa propugnacula recuperant.

gerentur. Nec v. iuuare eos potuit artifex ille Italus ingeniosissimus, qui in castra nuper aduenies tãto p̃dicatur robore esse, vt ferream equi soleam disrumpere manibus facilime possit. Vnde Gandauensium quidam in hanc fere sententiam ad amicum de Ostendana hac obsidione scribere non dubitauit: Ostendanam obsidionem nostri, quorum 18000. numero in castris iam reperiuntur, magna etiamnum contentione urgent, ordinibus non minori virtute repugnantib. probant nostri, se nõ pueros & illi se milites fortissimos esse. Malo nodo malus inuentus est cuneus, nec aliquot exacta secula, obsidionem huic similem, quæ quidem tot inuentis & excogitatis nouiter stratagematis æque memorabilis fuisset, viderunt; Desinant iam Melitã nobiles excurrere, Ostendam petãt, Ea .n. omnis iã & militaris disciplinæ & virtutis equestris, schola quasi & Academia existit, cũ non solum magni operis vallũ, quod planam formam nostri vocabant, machinis & tormentis variis disturbatum, sed etiam conatus alii non sine ingenti labore & damno in ciuitatem intentati, irriti plane & inutiles facti sint. Anno 1603.

Gandauẽsium de Ostendana obsidione litera.

Cum anno superiori Batorius fortunã nouercam aliquoties expertus, pacem cũ

Anno 1603. Cæsare tractaret, Moses quidam Zecclerorum Dux, nouis motibus in Transyluania initium dedit, Collectis enim Transyluanorum, Tartarorum & Turcarum aliquot millibus, à Viseburgo non procul castra metatus est, cumque à Georgio Basta hoc nomine compellaretur, nobilitatē quidem respondit, in pacis q̄ tum tractaretur, conditiones, nisi tolerabiliores proponerētur, consentire non posse, itaque cum saniora consilia nulla admitteret, inito prelio à Basta superatus & fuga saluti suæ cōsulere coactus est. Direptis vero castris, cum Basta Transyluaniæ quidem omnino iam pacādæ studens, ad conficiendas factionis reliquias, militem in omnes partes emitteret, ipse in Solomosia arce sua firmissima latitans, ut rebus suis ex animi sententia prospiceret, ille conuasatis sub finē p̄cedentis anni bonis omnibus, cum vxore locruque & liberis suis, Temesuariam, ad Turcas defecturus, nemine id quidem animaduertente clam profugit, arce quam tenuerat Turcis prius oblata. Inde cuidam Selestaniſio arcis Vinagosuariæ præfecto, autor extitit, vt arcem suam Turcis proderet, q̄ præsidiarii tamen milites præcauere, qui proditione ista mature cognita, prefectum capite truncarunt, Præcipuos etiam Transyluaniæ proceres, missis hinc inde speculatori-

latoribus, quorum aliqui cum literis intercepti sunt, ad nouam defectionem sollicitare non erubuit, addita promissione, se cum Turcis auxilio ipsis venturum. Basta igitur hac de re certior factus, sex millia sta stim arcem recuperatum emisit, quorũ aduentu Turcæ nequaquam perterrefacti, resistere primo alacriter cœperunt, fieri nõ posse rati, ut arce potirentur, quod in sublime excitato crassoq; non solum circumdata muro, sed & fossis profundissimis munita, in excelso admodum loco sita esset, impossibileq; omnino videretur vel tormentis eam petere, vel impressionem ullam facere. Anno 1603.

Solomonsia arx à Basta recuperata.

At copiæ ad expugnationem istam à Basta emissæ, cum aditum admodum difficilem esse cernerent, viam omnem, qua quã proxime fieri posset, accederent, perscrutantes, reperto tandem colle aliquantulũ eleuato, cum iumentis propter salebras & asperitatem loci admodum prærupti, ascẽsus non pateret, attracta in eum propriis manibus tormenta, ita disposuerunt, ut arcem petere quam commodissime possent, hocque peracto, ut munitiones & castra muris quam proxime admouerent, diesque & noctes summo adlaborarunt studio. Viso igitur hoc incredibili conatu, Turcæ, quorum 90. tantum in arce numera-

Anno 1603. merabantur, ab animi sui præstantia paulatim desciscentes, deditionem se facturos promiserunt si saluis discedere sibi liceret, atque ita impetrata discedendi venia arce, omnes, depositio tamen signo, egressi sunt.

Recuperata ad hunc modum arce, cõuocatos omnes Transyluaniæ nobiles proceresque Basta admonuit, ut datam semel Cęsari fidem constanter seruarent, qui caueret modo Basta responderunt, ne milites regionem suam varie desolatam omnino perderent, paratos sese esse, facta incommodorum & onerum mitigatione, quindecim millium aureorum Hungaricorum summam, cum commeatu auenæ non modico, inter milites distribuendam proferre. Facta hæc sunt sub exitum anni superioris. At hoc anno Moses Zecclerus interim, quindecim millium copias à Chamo Tartarico expetens, quibus Transyluaniam ingressus de Basta sese vlcisceretur, decem obtinuit, cumque Basta Visęburgo Claudiopolim concessisset, multi statim nobiles ignobilesque, ex Transyluania eum in Vngariam ad officium subpræfecti generalis hoc anno ibi sustinendum, vocatum arbitrati, rebellare rursus & Mosis Zeccleri se partibus adiungere visi

Transyluani ad Zecclerum desciunt.

visi sunt, qui cum aliquot millibus pedem rursus in Transyluaniam ponens, tribus à Viseburgo miliaribus situm Castellum, à septem tiliis dictum, occupauerat, trucidatis qui in eo fuerant omnibus. Cumque non lateret eum, nec rebus bellicis, nec commeatu regionem istam iam abundare, ulterius progressus longe lateq; eam vastare cœpit, donec Viseburgo tribus septimanis grauiter obsesso, per traditionem tandem, facta præsidiariis ad Varadinum maius decedendi potestate potiretur. Anno 1603.

Viseburgũ á Zecclero occupatũ.

Captus est hoc tempore ab Haiduccis, qui versus Temesuariam excurrentes, incendiis & direptionibus Turcis admodum pernitiosi fuerãt, aliquis à Sultano ad Mosen Zecclerum destinatus nuncius, qui examinatus retulit, in magna apud Sultanum gratia Moysen hunc esse, qui etiam generalem eum belli præfectum facere decreuisset, si rebus in Transyluania feliciter gestis, eam ad obedientiam & fidem Sultani conuerteret. Nam & ingentem centum & quinquaginta millium exercitum, quo Pestam & Strigonium recuperaret iam designatum Sultanum habere, sed ab alimentorum defectu, quo Turcia fere omnis hoc anno laboraret, progressum ipsorum

Anno 1603. nonnihil retardari. Occupato autem Feliciter Viseburgo, ubi præter opima spolia magnam tormentorum copiam Zeccleri inuenerat, cum Georgium Bastam Somoviariæ esse & paucos secum habere milites cognouisset, obsidione statim castellũ id cincturus contendit, cum igitur periculum esset, ne expugnato castello, in potestatem eius Basta perueniret, sex equitũ Valonum turmæ eo destinatæ sunt. At illi Rebellantibus similes, verso tergo, Cassouiam versus iter direxerunt, incolis passim molesti admodum & pernitiosi, studio tamen & industria generalis in Cassouia subpræfecti ad pœnitentiam reuocati, comprehensos ex suo numero sex primarios seditionis huius autores, ei obtulerunt, qui in quatuor partes dissecti, ad compita passim & vias publicas suspensi sunt. Rebellibus igitur hisce auxilium Bastæ denegantibus, vicini ad subleuationem huius castelli excitati sunt, præsertim cum Mosis Zeccleri Secretarius quidam, missis hinc inde ad fines Transyluaniæ literis, ingentium partim bonorum cum libertate coniunctorum promissione, partim sæuissimæ crudelitatis comminatione, proceres ad castrorum deditionem hortari audiretur. Vaida itaq; Radulensis, memor adhuc auxilii sibi contra Tartaros à Georgio Basta non

Somosuiuariæ à Zeccleri frustra obsessa.

Vaida Radulẽsis Bastæ auxilio venit.

sta non ita pridem præstiti, collecto ex Va- Anno
lachis, Zeccleris & aliis, 8000. exerci- 1603.
tu, itineri sese dedit, auxilio Bastæ contra Mosen hunc venturus. At ille hoc audito, cum præsertim etiam cognouisset, Bastam constitutis in arce rebus omnibus, clam ex ea euasisse, iamq; in reparando & recolligendo exercitu totum occupatum esse, receptui canens, obsidionem soluit. Cœperat enim partibus suis nõ parum tum metuere, quod Turcas ex Transyluania pedẽ retrahere videret, qui accepto de Haiduccorum ad Temesuariam conatib. nuncio, quod nimirũ suburbio Temesuariæ igne vastato, pecora & spolia alia Varadino feliciter intulissent, ad præcauendum malum aliquot maius, domum sibi properandum putauerant.

Cęterum ingens hoc tempore Varadini terræ motus factus est, ita ut tota ciuitas cum omnib. ædificiis inde concussa intremuerit. Mulier vero ibidẽ natione Sueua, 8. infantes viuos vno partu enixa, & ab oue agnus, porcellum media parte, altera vero agnum referens, in lucem editus est, quod obiter etiam annotandum duxi. *Terræmotus Varadini.* *Octo infantes vno partu in lucem editi.*

Soluta iam obsidione, milites quidam, facta excursione, cum hoste quem in variis locis offenderant, varie decertãtes, multas oues, boues & equos, cũ 17. Turcis viven-

Anno 1603. tibus, acquisiuerunt, verũ in reditu à Tartaris ex improuiso oppressi, ex parte trucidati sunt, præda omni ex manibus ipsorum rursus erepta. Moses vero Zecclerus non omnino abstinendum à proposito ratus, cũ nec Vaidam aduentasse, nec Bastam exercitum restaurasse cerneret, ad Claudiopolim cum suis mouit, eamque post exiguam ciuium luctam, repugnante tamen Iudice seu præfecto urbis primario, per deditionẽ occupauit, præsidiario eius milite per mõtana cum omnibus quæ habebãt deducto atq; dimisso. Hoc facto, nouum rursus cũque satis copiosum Turcarũ & Tartarorũ accepit exercitum, vnde mirabiliter in animo suo recreatus, quadringentos Temesuariã Turcas, vxorem liberosq; suos ad se in castra allatum dimisit, verum à Ianitsaris petitioni huic annuere nolentibus, hoc accepit responsi, Hungaros, Transyluanos & Valachos sæpenumero periuros inuentos, qui datam Imperatori suo fidem non semel fregissent, sciret igitur sibi tantum fidei nondum haberi, ut liberos à se dimittere possent, quo quidem responso animus eius non parum est exacerbatus.

Claudiopolis à Zecclero occupata.

Zecclerianis à Valachis cæsi

Interim de Vaidę cum aliquot millib. ex Valachia aduentu certior factus, cum de Georgio Bastę quidem conatibus non dubita-

bitaret, audiretq; equites Silesios 2000. in horas singulas eum expectare, quos cũ exercitu suo coniungeret, resistendum hisce conatibus aliquando tempestiuius ratus, 3000. copias Valacho in occursum misit, ut finib. arceretur & aduentu ꝓhiberetur. Zeccleriani isti milites ꝓgressi in cohortes 800. militum, quos Marta quidam ꝑfectus Valachus ducebat, incidentes, præliari cũ ipsis cœperunt, qui cũ tantis viribus impares sese cernerent, solutis statim castris fugã arripuerunt. At cum Zeccleriani postmodũ occupatis castris secure exultãtes tripudiarent, conuerso itinere reuersi, subitã in eos impressionem fecerunt, maximam eorum partem trucidãtes, Hac igitur suorũ clade cognita Zecclerus, non expectandum sibi putauit donec Valachus cũ residuo exercitu adueniret, sed Temesuariã statim vires rursus suas sibi reparatum contendit. Anno 1603.

Fœminas ludis & Choreis maxime delectari, præter experientiam, Poeta elegãter protulit:

Vt redit, itq; frequens longum formica per agmẽ,
Granifero solitum dum vehit ore cibum;
Aut ut apes, salt usq; suos, & olentia nacta
Pascua, per flores & thyma summa volant.
Sic ruit in celebres cultissima fœmina ludos,
Copia iudicium sæpe morata meum est.

Anno 1603. Hinc consuetudo in Anglia temporib. quidem defunctæ Reginæ Elisabethæ admodum inualuerat, ut ludis studerent plurimi, quibus Reginæ placentes, aliis etiam oblectamento essent, dum eos subinde Dominicis etiam diebus, quib aliâs rebus diuinis vacandum erat, spectandos p u b l i c exhibebant, à sacrorum cultu multos hoc modo auertentes. Sub aduentum igitur suum, cum Rex Iacobus hæc & alia in Anglia corrigenda inueniret, & non immemor esset illius quod Plautus alicubi dicit, Oppidum vel regnum *si Incolæ bene morati, pulchre munitum arbitror, perfidia & peculatus ex vrbe, & auaritia si exulant*; mandatum publicari iussit, quo abusus varii qui tacito quasi pede in Regnum irrepserāt, abrogarentur & extirparentur. Principio autem multum se delectari testatur, beneuolo subditorum erga suam personam affectu, quem declararint in agnitione iuris, quo præ aliis in legitima ad Regni huius gubernationem successione gaudeat. Hac igitur beneuolentia subditorum se commotū, ut nihil prætermissum vel neglectū velit, quod ad promotionem commodi cum priuati vniuscuiusq;, tum publici totius regni facere animaduertat, præsertim cum, licet ius suum tam certū fuerit, ut in dubitationē illud vocari nō potuerit, agnoscat

Abusus ludorum & alii varii in Anglia abrogati.

scat tamen inter magistratũ & subditos eũ esse respectum, ut in conscientiis suis alter alteri ad obsequia & beneuolentiæ officia mutua præstandum obligentur, Cæterum occupatum sese eiusmodi cogitationibus, animaduertisse affirmat, Reginã Sororem suam, paulo ante suum ex hoc mundo discessum, cũ multa in regno suo propter superbiã & auaritiã quorundam, quos beneficiis augere decreuerat, male administrari & inde damni nõ parum subditis creari, deprehendisset, cõstituisse, sententia sua mutata, priuilegiis & immunitatib. eos priuare, qui abuti ista liberalitate cernerentur, Iam v. licet tale quid ipse adhuc expertus nondũ sit, attamen cũ natura sua ab omni iniustitia & iniquis machinationib. in perniciem subditorum excogitatis abhorreat, existimare se, officii sui esse, in id maxime elaborare, ut populus, à quo modis omnibus obseruaretur, animaduertat, eodẽ se erga vtilitatem cuiuscũq; ꝓmouendam animo esse, quo ipse fuerit erga suam personam & agnoscendam & declarandã pro legitimo hærede Regni, ad quod per Dei gratiam ita conscenderit; Imperare igitur se, ne quis imposterum priuilegiis à defuncta Regina acceptis utatur, ad monopolia vel alias immunitates exercendas, donec ea per consiliarios suos examinata confirmentur, nolle enim sese ut vlla pri- Anno 1603.

Anno 1603. uilegia in præiudicium & detrimentum subditorum ius suum contra debitores vel alio modo sibi obligatos persequentium data & excogitata, valeant, prætendantur aut acceptẽtur, in foro & iudiciis regni sui usitatis, quemadmodũ etiam debiti actionem nullam admitti velit, quæ aliter concepta & instituta sit, quam consuetudo & ratio iudiciorum longo usu confirmatorũ requirat, cumq; non parum querelæ de iis qui vel nitri cõficiendi rationẽ habere, vel aliis etiam muneribus præesse debent, ad suam personam delatum sit, mandare sese serio, ut omnes qui officiis eiusmodi præsunt, ea ita administrẽt, ne subditi de ipsorum vel negligentia vel improbitate conquerendi causam ullam habeant, Nam & omnibus Iurisperitis, Procuratoribus, Notariis, scribis & aliis quibuscunq; circa ius vel spirituale vel seculare administrandum versantib. serio iniunctũ velle, ut à munerum acceptationibus abstineant, & salario sibi constituto contenti, iustitiam omnibus administrent.

Cæterum ut mandatũ hoc apud omnes firmum ratumq; sit, & finem suum rectius assequatur, uniuersos & singulos admonitos sese velle asserit, se eius transgressionem inultam nullo modo habiturum, sed

in

in omnes præfractos & contumaces transgressores seueriſſime animaduerſurum esse. Poteſtatem ſeſe igitur facere omnibus ſuis ſubditis, qui vel oneribus ſupradictis grauentur, vel vllis opprimantur moleſtiis & iniuriis aliis, de quibus ad aures ſuas nihil adhuc delatum, ut legitimo modo coram ſe aut conſiliariis ſuis compareant & libere querelas ſuas proponant, accepturi reſponſum eiuſmodi, ut facile inde de ſtudio & zelo ſuo, quo erga tuendam iuſticiam & commodum vniuscuiusq; promouendum ducatur, coniecturam facere poſſint, hoc tamen admonitos omnes velle, ut querelas afferentes, videant ut iuſtas & legitimas conquerendi cauſas habeãt, nec quicquam ex odio & affectu aliquo priuato, in alicuius contumeliam & detrimentum ſuſcipiant, Hoc enim ſi faciant, daturum ſeſe operam ut intelligant, Principis eſſe nõ minus in cauſa iuſta tueri perſonas publicis muneribus fungentes, quam iuſticiam communi populo in cauſis legitimis, etiam contra quoscunq; dignitate ſupereminentes adminiſtrare, ſaluo tamen per omnia iure ſuo, cui nihil hoc mandato detractum velit. Anno 1603.

Deniq; cum animaduerterit etiam inſignem in regnum iſtud Sabbathi profanatio-

Anno 1603. nationem irrepsisse, modis omnibus sibi enitendum esse affirmat, ut profanatio ista imposterũ abrogetur, & Sabbatho diuino debitus suus honos restituatur, Quare cum vitare peccata, sit vitare occasiones peccatorum, mandare sese seueriſſime, ut imposterum omnium certaminum, quæ ob vrsis & bobus inuicem commissis fiunt, palæstrarum item, Comœdiarum & Tragœdiarum, saltationum, ludorum athleticorum & aliarum id genus ludicrarum oblectationum vsus & exercitia diebus quidem festis & Dominicis, per vniuersum suum regnum abrogentur & intermittantur.

Regis Fessanicum Regi Hispano consentio.

Algeriam Africæ ciuitatem Hispanus iam pridem debellare & sibi subiectam reddere cogitabat, fretus auxilio Regis Fessani, qui auxiliares cohortes peditũ 80000. equitum vero 20000. Hispano se missurum, & dictam ciuitatem ex ea parte qua terram spectat oppugnaturum pollicitus fuerat, hac tamen lege, si Hispanus, de tormentis & apparatu bellico aduersus impressiones Turcicas necessario, sibi prospiceret, cum enim satis longo iam tempore, durante nimirum bello Hungarico, tributum Sultano ex suo regno nullum persolutum Fessanus sciret, bellum sibi certissimum

mum imminere existimans, constituerat ad Hispani Regis præsidium; confugere, patronumq; eum, firmato inter utrumque fœdere sibi asciscere, sperans igitur expugnata feliciter Algeria ciuitate, & classem Turcicam dissipatu, & loca Barbariæ alia expugnatu faciliora futura, sub finem anni superioris, auxilium suum Hispano denunciat, qui ingentem statim classem instrui, & oppugnatum ciuitatem eam ablegari præcepit, Interim vero cum in ea habitantes Christiani cum Rege Fessano facere aliquo modo deprehenderentur, cõprehensi eorum plurimi, inter quos & Capucini quidam Monachi fuerunt, acerbissimæ morti adiudicati, post cruciatus varios, vitam tandem misere finierũt. Cæteri autem horrendo incluſi ergastulo, ad opem Pontificis sibi confugiendum rati, ablegato Romam nuncio, septem millium coronatorum summam in redemptionem sui Turcis sine ulla tergiuersatione numerandam esse, Papæ submisse significarunt. Vicem igitur hanc Christianorum tristissimam misertus Papa, depromptis ex thesauro suo proprio, duobus millibus, reliquis vero quinque ex ordinum contributione collectis, expetitum lytron ipsis, ut Turcarum cupiditatibus satisfacerent,

Anno 1603.

Papa Christianos in Africa mittit.

Anno 1603. rent sine mora transmisit. Cæterum Fessanus sub veris initium spe ab Hispano de classe oppugnatum Algeriam mittenda, sibi facta, cum ingenti exercitu ad ciuitatẽ istam terra proficiscitur, classem Hispanorum ibi præstolaturus, quæ cum nõ compareret, pedẽ retrahere coactus Fessanus, nihil præterquam quod fontiũ scaturigines destruxerat, atq; aquæ hoc modo vsum ipsis subtraxerat, memoratu dignum effecit, Domum autem reuersus legationem ad Hispaniæ Regem rursus destinat monens eum ut auxilio sibi contra Turcas veniat, & nouam classem in oppugnationem Algeriæ præparet, hac addita promissione, daturum sese operam ut breui expugnatã ciuitatem istam ipsi tradat, præsertim cum ex vicinis Regibus aliquem bello ceperit, & ultra 2000. Ianitscharos, qui Algieriis auxilio missi fuerant, prælio superatos trucidarit, interim contracto innumerabili exercitu obsidionem dictæ ciuitatis molitur, certa spe fretus, Hispanum classe sua auxilio sibi venturum, & in mari occasionem Sultano ciuitatem subleuandi præreptarum, intercluſis omnibus viis & portubus ne accessus ipsi ad eam vllus pateat. Cognita autem hac obsidione Sultanus, celebrem hoc tempore piratam Amurathem

Algerica ciuitas à Fessano oppugnatur.

them Rois subleuatũ Algeriã proficiſci iu- Anno
bet, qui acceptũ nuper non procul à Tene- 1603.
do Inſula damnum, ubi cum 9 piraticis cõſtitutus nauibus, tres amiſerat, recompenſaturus, omnibus ſeſe modis ad ſuſcipiendam hanc nauigationem parauit, triremibus octo in hunc vſum omni cõmeatus & armorum genere inſtructis, Verũ ad portum ei præcludendum paſſim non in Hiſpania ſolum, ſed & in Sicilia & Neapoli triremes piraticæq; naues multæ paratæ & mari commiſſæ ſunt.

Ordines confœderati legatos in Angliam mittunt.

Ordinum confœderatorum legati, deſignato nuper in Anglia Regi congratulaturi, cum 14. præſidiariis nauibus circa calendas Maij in Hollandia ſoluentes, itineri ſeſe dederunt, generali prius precationis die, quo auxilium Dei implorarẽt præmiſſo. Precioſiſſimis autem, quibus Regẽ afficerent inſtructi muneribus erant, quorum precium 200000. florenorum ſummam excedere dicebantur, ſimiliter vero & Comes Arenbergius ab Archiduce Alberto mandatum accepit, ut in Angliam profectus Regi gratularetur, & omnia humanitatis beneuolentiæq; officia ſuo nomine ei offerret, Dunkerkanis primo, ne nauibus impoſterum Anglicis vim ullam inferrent admonitis.

Anno 1603.

Præparatio Londini ad futuram Regis coronationem.

Magna autem hoc tempore ad futuram Regis coronationem præparatio Londini facta est, conscriptis multis artificibus & ingeniosis operum quorumcunq; fabricatoribus, qui duorum mensium spacio, fabricas & structuras splendidissimas ad pōpam hanc regiam magis magisq; exornandam pertinentes, ingenio simul & manu artificiosis quam elegantissime perficerēt & elaborarent. Post celebratas autem defunctæ Reginæ Elizabethæ, magna quidem sed lugubri tamen cum pompa exequias, adfuerunt Regi quidā, qui nomine Gallorum, Batauorum & Germanorū in Anglia passim habitantium, libertatis & priuilegiorum à defuncta Regina quondā acceptorum confirmationē supplices exorarent, Fontainio luculenta & diserta oratione talem in modum pro ipsis verba faciente:

Peregrini in Anglia habitātes libertates & priuilegiorū suorū confirmationē petunt.

Inter multos eosque innumeros, inquit, Rex sereniſſime, Regiæ vestræ Maj. subditos, supplices hic ad pedes Majestatis V. prouoluti cernuntur Peregrini quidam sub alis beneuolæ protectionis latitantes & viuentes, pauci illi quidem numero, sed qui ingentem Londini, Cantuariæ, Suithāptoni, Colcheſtriæ, Noruigiæ, Sanduigiæ & alibi passim habitātium, subditorum

mul-

multitudinem referant & repræsentent. Horum enim omnium nomine adsumus iam Rex clementissime, lætitia quidem singulari perfusi, sed quæ tamen luctus & tristitiæ non parum simul habeat admixtum. Lætitia inquam perfusi adsumus, dum enim Regiam vestram Majestatem, præpotenti Dei dextra infinitis ereptam periculis, præsentem iam per gratiam Dei intuemur, ea quidem instar Solis nobis est clarissimi, nubes omnes dispellentis, non solliciti tantum & timoris & spei, sed etiam omnium, quæ ad splendorem præstantissimi huius Regni, densissimis tenebrarum nebulis inuoluendum & obnubilandum quasi comparata paulo ante videbantur, in perniciem congregationis plurimorum Christi fidelium, qui tantum exultare & Deo Opt. Maximo pro felici Majestatis vestræ aduentu & confirmatione, gratias agere videntur, quantum dentibus propterea frendent omnes ex posteritate Caini, sanctissimi licet extrinsecus & vel niue candidiores videri volentes. Lætitiæ vero, & luctus nonnihil habere nos admixtum dixi, idque hanc quidem ob causam, quod Majestatem V. ante oculos nobis ponere Anno 1603.

Anno 1603. non possumus, quin statim recordatio Regiæ principis, cui ea modo successit, animis nostris obrepat, tametsi enim non nesciamus, verum esse quod Poeta dicit; *Pallida mors æquo pulsat pede, pauperum tabernas, Regumque turres*; & Reginam hanc potentissimam ad quietem suam, per viã omnis Carnis ingressam esse; negari tamen non potest, misericordiam & bonitatem eius Christianissimam, clauem quasi fuisse, aperiendis omnium suarum ciuitatum portis conuenientissimam, ut essent domicilia quasi & receptacula filii Dei exulantis & persecutionem patiêtis in membris suis, ex naufragio quasi aliquot mille hominum ereptis, quibus ipsa Deo libere seruiendi, & honesta manuum operatione se suosq; in his regionibus sustentandi, viam aperuit latissimam, hinc adeo est quod vel cordium nostrorum testimonio conuicti, aliter non possimus, quam, cum dictum sit, in memoria æterna erit iustus, memoriam eius sanctissimam inter nos modis omnibus conseruare. Hinc etiam est, quod hoc nostro conatu, exequias nostra qualicunq; præsentia condecorandi, eius, quam matrem habuimus optimam, in tantum non læsum iri Majestatem V. vereamur, vt spe potius ducamur optima, eam studium

hoc

hoc noſtrum modis omnibus approbatu- Anno
ram, quod inde de animorum noſtrorum 1603.
erga illam, in beatitudine iam conſtitutam gratitudine, veriſſimum peti argumentũ poſſit, quæ tali nos fauore & protectione proſecuta eſt, qualem de regia veſtra bonitate nobis impoſterum plena fiducia promittimus & pollicemur.

Illud enim eſt quod quin ſummis contenderemus in præſentia precibus, & ante genua Majeſtatis V. prouoluti maiorem in modum rogaremus, intermittere nullo modo potuimus, ut Majeſtas V. optimis, Regis Eduardi & Reginæ Eliſabethæ, ſuorum feliciſſimæ recordationis anteceſſorum veſtigiis laudabiliter inſiſtens, patrocinium ſuſcipere dignetur cum omnium huius Regni ſubditorum, tum aduenarum & peregrinorum inprimis, qui vel iam viuunt, vel impoſterum victuri ſunt ſub vmbra alarum Majeſtatis V. ut exercitiis pietatis libere vacare & libertate priuilegiisq; antea ſibi conceſſis in peragendis negotiationibus & commerciis ſuis exercendis, impoſterum etiam uti frui poſſint.

Fundamentum huius petitionis eo facilius obtinendæ, ponimus in ſola Regiæ V. Majeſtatis bonitate & munificentia, de noſtro enim aduentu, an huic Regno cõ-

Anno 1603. modi aliquid ex eo obuenerit, nostrum non est iudicare, quibus sufficit beneficia in his regionibus accepta vnice agnoscere & deprædicare, Hoc tamen citra vllius ambitionis inuidiam dicere possumus, si libeat Majestati vestræ omnes proceres, nobiles, Episcopos, mercatores & alios huius Regni subditos rogare, quales nos inter varias turbas & machinationes, iam quidem per Dei gratiam omnes sopitas, in hoc Regno semper gesserimus, per nos quidem quam optime id licere, Hoc enim facto, speramus intellecturam Majest. V. neminem ex nostris, à primo quidem in hoc Regnum ingressu, repertum, qui vel ab amore vel obedientia Reginæ & ciuitati in quam suscepti sumus, debita, vel latum vnguem vnquam discesserit. Quod ipsum tamen nullo hîc fine alio dictum volumus, quam ut Regia V. Majestas ad quam optime de nobis sentiendum & sperandum aliquo modo excitetur, & certo sibi persuadeat, se dum nobis benefaciat, semen suum sterili & ingrato agro nequaquam commendaturam, si enim referre nihil possimus aliud, in piis certe precibus & votis pro salute & incolumitate Majestatis V. perpetua, solenniter conceptis constantes persequerabimus.

Atqui

Atque si libeat forte Majest. V. rationē precum, & votorum nostrorum summam cognoscere, studium quidem nullum ponemus in inquisitione exemplorum & historiarum quæ superioribus consignatæ fuerunt seculis, ut precemur Majestati V. fidem Abrahami, prudentiam Iosephi, studium & felicitatem Mosis, victorias Iosuæ, Dauidis, Cæsaris, Alexandri, diuitias & sapientiam Salomonis, pietatem Ezechiæ, Iosiæ, & alia eiusmodi, Non enim libet cogitationibus tam longis distractis esse, sed vnicum solummodo precamur & optamus, vt Spiritus Dei infusas & efficaciter animæ Majestatis V. impressas, penicilloq; artificiosissimi calami in tabulam subtilissimi libelli, cordis nempe vestri, insculptas tot præstantissimas & Heroe summo dignissimas virtutes, exprimendi & in omnibus ad gubernationem populi huius mirabiliter Maj. V. diuinitus commissam, pertinentibus actionib. declarandi gratiā Maj. V. clementer & abunde largiatur. Hoc si à diuina bonitate & misericordia obtineamus, eligat sibi sane ab autore Loiola excitata factio illa, Regē Catholicū Romanū, cui quantū fieri potest, veteris & noui orbis offerat dominū, Maj. tamen V. virtutum suarum specimen toti mundo, quādo Anno 1603.

Anno 1603. & quoties libuerit comprobabit, omnium Christi fidelium oculos animosque in sui admirationem conuertet, Eridis pomum cuius semina passim repullulare, hactenus visa sunt, stygias relegabit ad undas, vinculo charitatis & dilectionis fraternæ variorum populorum animos constringet, & ut vno verbo dicã, honorando filium Dei efficiet Majestas V. vt ab eodẽ rursus honorata æternæ benedictionis particeps fiat; quæ quidem summa est deprecationis pro regia V. Majestate à peregrinis in Regno hoc vestro conceptæ, & subinde in ipsorũ cœtibus coram oculis Dei ardentib. votis repetendæ.

Responsum Regis ad peregrinorum petitionem.

Ad hanc Fontainii lingua Anglica habitam orationem, Rex in hanc fere sententiam respondit; Quanquam, inquit, nemo vestrum sit, qui nostram personam vnquã antehac viderit, ea tamen opinor nemini vestrum ignota esse potuit, Nam quod religionem quidem nostram attinet, ea sane vobis non potuit non perspectissima esse, partim ex rumore de ea per vniuersam regionem sparso, partim vero & omnium maxime, ex confessione nostra publici iuris facta, in qua expresse satis declarauimus & notissimum omnibus fecimus, quæ mẽs & sententia nostra circa pietatem & religio-

gionem esset, superuacaneum igitur fue- Anno
rit, vel ea hic plurib. repetere, vel quo erga 1603.
omnes eos qui propter religionē ad has regi
ones confluxerūt, animo essemus declara-
re. Agnoscimus & fatemur duas res esse
quæ defunctæ Reginæ sororis nostræ no-
men, per uniuersum mundum illustre &
amplissimum fecerunt, studium nempe
flagrantissimum, religionem & cultum di-
uinum in hoc regno propagandi & con-
seruandi, & postea beneuolentia insignis
& humanitas erga peregrinos hospitio ex-
cipiendos atq; fouendos, cuius quidem ut
regni sic laudis etiam hæredes esse expe-
timus vnice & laboramus.

Nouimus autem testimonio nempe eo-
rundem procerum & subditorum huius
Regni, ad quos modo prouocare vos au-
diuimus, edocti, quod à piis ad Deum pro
eius salute precibus, & obedientia ipsi de-
bita, nunquam defeceritis, Nec ignotum
nobis est, quam huic Regno profueritis,
variis opificiis, commerciis & politicis re-
bus aliis illud locupletantes & condeco-
rantes, vnde nihil est cur dissimulemus, eo
nos iam tum, cum adhuc in angulo & fini-
bus quasi mundi latitaremus, erga vos fu-
isse animo, vt si occasio ita tulisset, gustum
quasi aliquem beneuolentiæ erga vos no-

Anno 1603. ſtræ vobis libenter præbuiſſemus, Verum cum nulli vnquam Principi inſidiantes, commodi alicuius peregrini appetentes, nunquam fuerimus, Et vero Deo iam opt max. Regem nos harum regionum facere placuerit, iureiurando vobis ſanctiſſime confirmamus, nos, ſi quis vobis vel dictis vel factis moleſtus eſſe præſumat, illud inultum non habituros, quamuis enim indigenæ non ſitis & genuini huius Regni ſubditi, conſtituimus tamen eodem, quo vllus in hoc mundo princeps, patrocinio vos amplecti atque tueri.

Hæc quidem reſponſi Regii ad peregrinorum & aduenarum in Anglia petitionem, ſumma fuit, in qua cum religionis ſeu confeſſionis ſuæ ſcripto publico comprehenſæ & declaratæ mentionem Rex fecerit, viſum eſt, eam ſicut ad manus quidem noſtras peruenit, ex Anglico & Belgico ſermone in latinum conuerſam tibi hic exhibere. Eſt autem in hanc ſententiam concepta:

Confeſſio fidei & religionis, Iacobi I. Angliæ Regis.

Nos vniuerſi & ſinguli, publico hoc teſtamur ſcripto, quod poſt diuturnam diligentemq; conſcientiarum noſtrarum excuſſionem, in cauſa, veritatem & falſitatem religionis ſpectante, in veritate tandem, infallibilis eiuſdem normæ verbi diuini

ſcilicet

scilicet & Spiritus sancti beneficio testimo nioque plenarie confirmati simus. Corde igitur credimus, fatemur ore, manib. subscribimus & constanter testamur coram Deo & vniuerso mundo, eam solam esse veram fidem & religionem Deo placentem & salutem hominibus conferentem, quæ singulari diuina misericordia, mundo iam patefacta est per prædicationem sanctissimi Euangelii, recepta item est atque defenditur à multis præcipuis Ecclesiis & Regnis, inprimis autem à Rege nostro in Ecclesiis potestati & Imperio suo subiectis, tanquam æterna Dei veritas, & fundamentum vnicum nostræ salutis, quemadmodum satis & articulatim explicatum est in formula confessionis fidei, constituta & confirmata diuersis Parlamenti actionibus, longoque iam tempore in aula Majestatis Regiæ & toto Regni huius corpore approbata & usu recepta, tam in ciuitatibus quam in pagis & oppidis variis, cum qua concessione & Religionis formula nos per omnia in cordibus & conscientiis nostris consentimus, tanquam cum indubitata diuina veritate, in solo eius scripto verbo fundata. Anno 1603.

Detestamur igitur & reiicimus omnem con-

Anno 1603. contrariam Religionem & doctrinam, in primis vero Pontificiam & Papisticam generatim & speciatim, tanquam iam satis refutatam & condemnatam per verbum Dei & Ecclesias, Regiæ potestati subiectas, Atq; in ea speciatim & nominatim reiicimus & execramur, ab Antichristo Romano usurpatam potestatem supra verbum Dei, supra Ecclesiam, supra Magistratum politicum, & conscientias hominum; omnes eius leges de adiaphoris, cõtra Christianam libertatem latas, peruersam eius doctrinam contra perfectionẽ sacræ scripturæ, perfectionem legis, officium Christi, & sanctum eius Euangelium; peruersam eius doctrinam circa articulũ de peccato originali, & de virium humanarum imbecillitate, blasphemias eius contra iustificationem fidei, contra imperfectam impletionem legis, & contra naturam, numerum atq; usum Sacramentorum.

Exsecramur quinq; eius illegitima Sacramenta cum omnibus ceremoniis, opinionibus & cultibus ad verorum Sacramentorum dispẽlationem ab ipso temere affictis & præter Dei verbum excogitatis; temerarium eius iudicium de infantibus ante perceptionem Sacramenti forte defunctis; simplicẽ eius & absolutam Baptismi

ſmi neceſſitatem, impium eius de tranſubſtantiatione & communione Sacramẽti in deductione funerum commentum; diſpẽſationem eius circa caſus quorundam iuramentorum & gradus periuriorum in verbo Dei prohibitos, cum tyrannide eius in innocentes miſeros, Anno 1603.

Abhorremus à diabolica eius Miſſa, blaſphemo eius ſacerdotio, exſecrãdo eius ſacrificio pro peccatis viuentiũ & mortuorum, canoniſatione ſanctorum, inuocatione Angelorum & ſanctorum defunctorum, cultu imaginum, reliquiarum & oſſium ſanctorum, crucis & aliarum rerũ, luſtratione templorum & altarium, diſcrimine dierum, fiducia creaturarum, purgatorio, oratione pro defunctis, collectis lingua peregrina & ignota factis, proceſſionibus, & blaſphemis eius litaniis, multitudine mediatorum & interceſſorum, ordinibus, auriculari confeſſione, incerta & deſperata pœnitentia, hiſtorica & dubia fide, ſatisfactione hominum pro peccatis propriis, iuſtificatione bonorum operum, opere operato, operibus ſupererogationis, meritis, oblationibus, peregrinationibus ad loca ſacra, & aliis.

Deteſtamur profanam eius aquam luſtralem, baptiſmum campanarum, exſcratio-

Anno 1603. tionem spirituũ, benedictionem, vnctionem, exorcisationem, sanctificationem creaturarum Dei, & omnem eius superstitionem aliam, principatum item eius secularem cum hierarchia spirituali, tria eius vota, cum aliis eiusmodi ineptiis, fanatica item eius & sanguinea decrera Tridenti facta, cum omnibus qui subscriptione sua ligam vel confœderationem crudelissimam in perniciem Ecclesiæ excogitatam approbarunt.

Exsecramur præterea omnes vanissimas eius allegorias, & ceremonias in ecclesiam introductas propter verbum Dei & doctrinam in Ecclesiis reformatis vsitatam, cui nos adiungimus in doctrina, fide, disciplina, & vsu sacramentorum legitimo, tanquam viva eius membra Christo capiti vnita, promittentes & iurantes in nomine Dei nostri, quod velimus esse constantes & perseverantes in obedientia doctrinæ & disciplinæ huius Ecclesiæ, & in defensione vocationis atque potestatis nostræ, omnibus diebus vitæ nostræ, euitantes hoc modo maledictionem legis & periculum corporum animarumq; nostrarum in die terribilis iudicii Dei.

Et licet forsitan reperiantur aliqui à Diabolo nempe & Romano Antichristo excitati

excitati, qui fraudulenter recipiant & subscriptione sua approbent doctrinam in his Ecclesiis vsitatam, sacramentisque harum Ecclesiarum ad tempus vtantur contra suam ipsorum conscientiam, sperantes hoc modo tacite quidem primo, & sub externa specie religionis, veram nostram doctrinā & religionem peffundare, donec tandem progressu temporis aperti eius hostes euadant, freti vna spe Pontificiæ dispensationis contra verbū Dei excogitatæ in confusionem propriā & condemnationem sui maiorē in die Iesu Christi: Nos tamē, ne in suspicionem tā fraudulentæ coram Deo & Ecclesia simulationis incidamus, fatemur iam aperte, & testem huius nostrę cōfessionis inuocamus eum qui est seruator cordium & rerū, nos toto animo & corde per omnia consentire cum hac confessione, iuramento & subscriptione nostra cōfirmata quam libere & nulla vi metuque coacti præstitimus, inuitati nimirum ad eam testimonio cōscientiarum nostrarū, per agnitionē & studiū veræ religionis cordib. nostris à spiritu S. impressæ, rationem quidē etiā eius Deo reddituri, in illo die, quo ōia cordiū secreta in lucem producētur clarissimā. Cumq; non simus nescii quietē ecclesiæ & religionis nostræ cōseruationē depē-

Anno 1603.

dere

Anno 1603. dere à salute & incolumitate Majestatis Regiæ, tanquam à pulcherrimo instrumẽto gratiæ Dei, his Regionibus peculiariter concessæ, ad conseruationem Ecclesiæ suę, & promotionem iusticiæ inter nos retinẽdę, toto corde promittimus & pollicemur, nos vitam & omnia bona nostra pro persona & existimatione Majestatis eius ab omnibus periculis vindicanda impẽdere, & in defensionem Euangelii Christi, conseruationem libertatis harum regionum, administrationem iustitiæ, abrogationẽ iniquitatis, & hostium huius Regni vel internorum vel externorum persecutionẽ, tam pronos & paratos esse velle, quam à Deo expetimus, vt patronum & propugnatorem nobis sese fortissimum præstet usq; ad diem mortis nostræ & glorioſissimi aduentus Domini nostri Iesu Christi, cui una cum patre & spiritu S. sit honor & benedictio seculis infinitis.

Friderici Spinolæ pater.

Diuitiis omnia parere Horatius pulchrè expressit, *Virtus* (inquit) *fama, decus, diuina humanaque pulchris diuitiis parent, quas qui construxerit, ille clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam rex, & quicquid volet.*

Noucrat hoc Carolus Spinola, mercator quondam celeberrimus, ingentes propterea mercatura sua opes accumulans, ut earum

earum beneficio filiis ad dignitates & honores eo facilior aliquando accessus pateret, immemor interea illius quod Iuuenalis alicubi scribit: Anno 1603.

Nec Crœsi fortuna vnquam nec Persica regna
Sufficient animo nec diuitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia.

Diuitum enim animis opes, licet immensæ, non sufficiunt, quippe qui telluri assimilantur, de qua dictum est:

Quæ plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

Sic enim diuitiis aucti honores appetunt, aucti honoribus, luxui sese dedunt, luxum ferocia sequitur, mala secum plurima attrahens, ut nō immerito Solon opulentiam dixerit matrem esse saturitatis, saturitatem ferociæ, ac violentiæ, diuitias comitari luxum, cumq; exire in tyrannidem, dum fœnum in cornua migret; Filium Carolus reliquit Fridericum Spinolam & censum ei simul annuum 400000. Carolinorum, ut locum suum splendide satis tueri potuisset, at ipse, verum enim est quod Tibullus dicit: *Sæpe solent auro multa subesse mala*, fortuna sua non contentus, cū satietas eum obscuri ut videbatur cœpisset nominis, in luxum proruens, esse ut cum Seneca dicam:

Cupit & regi proximus ipsi

Anno 1603.

Clarusq; latas ire per vrbes,
Vrit miserum gloria pectus.

Fridericus Spinola infeliciter pugnat

Hinc cum sub finem superioris anni Archidux biremes aliquot in Hispania adornari iussisset, quæ cum Sluisensibus & Dunkerkanis nauigiis coniunctæ, Canalem ad Ostendam obsiderent, obtinuit ab eo ut classi isti moderator præficeretur. Classem tum ducebat triremibus sex, præsidiariis vero nauibus nouem constantem, At Hollandi suam etiam classem eiin occursum mittebant, Itaque cum ab utraque parte in mari conuentum esset, exorta statim pugna adeo increbuit, ut disiecta tandem Spinolæ classis tota fere interierit, triremibus nempe aliis vi tormentorum statim submersis, aliis in sicca & arenas detrusis, aliis post diuturnos in mari errores Caletum Galliæ reiectis. Euasit tum temporis Spinola, portum Dunkerkanum cum residuis nauibus assecutus, itaque ut acceptum damnum aliquo modo vlciscisceretur, reparatis statim nauibus, mari sese iterum commisit, simili tamen fortuna & euentu, ita quippe à confœderatis Ordinibus acceptus, ut satius esse initiis quam fini mederi ratus, recurrere tum, quam male currere maluerit.

Bis igitur à fortuna quasi admonitu,

ads

ad quietem sese composuisset merito si sa- Anno
puisset, recte, cum & piscator ictus sapiat, 1603.
& vel minus piscem gustans, periculi memor, eam contingere imposterum metuat, sed

Heu quam præcipiti mersa profundo
Mens habet, & propria luce relicta,
Tendit in externas ire tenebras.

Boetius exclamat, ipse enim dolorem hûc suum ulturus, cum opibus & diuitiis admodum afflueret & credo cum M. Crasso putaret, diuitem se haberi non posse, nisi priuatis facultatibus vel legionem aleret, triremes octo cum præsidiariis quinque propriis adornatas sumptibus, commeatu & apparatu bellico sufficienter instruxit, sclopetariisque & classiariis militibus 2500. onerauit, Ouidianum illud in ore frequenter habens:

Casus vbiq; valet, semper tibi pendeat hamus,
Quo minime credis gurgite piscis erit.

Herebant tum in anchoris confœderatorum Ordinum triremes duæ & tres præsidiariæ naues aliæ eo quidem fine, ut Hispanis transitum præcluderent, & canalem per quē ad Ostendam ingressus adhuc patet, ab omni hostili conatu tuerentur. Has igitur adoriri animus erat, ut illis superatis & sublatis grassari eo securius, & infesta reddere omnia sibi liceret. Maji igitur 26.

Anno 1603. summo diluculo, ex portu Sluſenſi ſoluēs, horam circiter 5. matutinam ingenti cum furore & feruore ad triremes Hollandicas, quarum vna nigra dicebatur, Hiſpanis nō ita pridē ad Antuerpiam erepta, ferebatur, victoriam ſibi certiſſimam pollicitus, cum tamen, ut Senec. elegantèr dicit:

Licet omne tecum Regis robur trahas,
Licet arma longè miles ac late explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco ſit.

Erant de eius conatu & aduentu Ordinū claſſiarii iā ante dies 6. per familiares quoſdam ex Antuerpia certiores facti, itaq; de rebus omnibus, ſibi proſpicientes ad pugnam ſeſe quam diligentiſſime parauerāt, & iam aduenientes hoſtes ita accipiebant, vt à crebra ab utraque parte tormentorum exploſione, naues omnes quaſi in medio igne conſtitutæ viderentur: Non mouebātur hac Hollandorū reluctatione Hiſpani, ſed victoriam ſibi certiſſimè promittentes, impetum in triremem nigram faciebant, apprehendentes eam anchoris ſuis, & directis ad malum tormentis, vexillo eius potiri modis omnibus expetentes. Fauebat ipſorum conatibus tempeſtas, tanta enim ventorum tranquillitas erat, ut naues aliæ periclitantem hanc triremem iuuare nullo modo poſſent, in quam ita quidem

Hiſpa-

Hiſpani ſæuiebant, ut ne apparere quidem vllus auderet, quin trucidatus ſtatim occumberet, dolebant ſocii eorum qui in hac triremi erant vicem, ſed auxilio eis venire non poterant, læti tamen interim, quod immotam eam adhuc perſiſtere, tribus nempe anchoris firmatam viderent. Et ſane Hiſpani milites ſeſe fortiſſimos ſatis declarabant, verum cum de eorum aduentu conſœlerati nimis mature fuiſſent edocti, inter binos ſemper remos in triremi nigra tormentum diſpoſuerant, multis ſcloporũ glandibus ſæculo incluſis oneratum, quarum exploſione dici nõ poteſt, quantum in claſſe hoſtium damni dederint, cadebant certe denſo agmine occũbentes, atq; inter ipſos ipſemet etiam pugnæ huius Dux & autor Fridericus Spinola globo tormentario percuſſus animã exhalare viſus eſt. Anno 1603.

Fridericus Spinola pugnando occumbit.

Inter media hæc tonitrua quaſi & fulgura tormentorum, (tantus enim ab exploſione hac fragor excitatus eſt, ac ſi in armamentarium aliquod vario armorum genere refertiſſimum tormenta emitterẽtur) nitebantur quidem Hiſpani appræhẽſam Selandorum triremem ſecum ad portum Sluſenſem pertrahere, ſed vento perquam opportune exorto, qui in præſi-

Anno 1603. diariis erant nauibus Hollandi, non ceſſabant auxilio ei venire. Hiſpanorum igitur triremibus imminentes, tam vehementi tormentorum eas perſequebantur exploſione, vt abſ. iſſis funib. periculum euitare modis omnibus properarent, portum Sluſenſem vnde venerant, mœſti repetentes.

Pugna hæc trium fere horarum ſpacio multis ab utraque parte exitio fuit, in triremi enim nigra, Vuppius præfectus globo per medium pectus traiecto, occubuit, quem prædicant tanta fuiſſe fortitudine ut cum lethali ſeſe vulnere percuſſum ſentiret, militibus valedicens, omnes priuſquã moreretur excitarit, pugnarent fortiter pro patria, & extrenia forſitan ita vrgente neceſſitate, in puluerem tormentarium coniecto potius igne, triremem ipſi perderent, quam in hoſtium manus viui peruenirent. Hæc locutus concidit mortem cum aliis quibuſdam oppetens, quorum 30. poſtmodum in primario Vliſſingenſi templo ſepulti ſunt. In altera triremi præfectus cum 100. fere ſclopetariis vulnerati reperti ſunt, ſed Hiſpanorum ultra 1400 deſiderati fuiſſe perhibentur, qui vndis partim ſubmerſi, partim ſclotis & tormentis percuſſi perierint, inter

quos

quos Spinola ipse cum quatuor præfect's aliis ab hac luce subtractus, exemplo suo Horatianum illud comprobauit: Anno 1603.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum;
Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordibus aufert.

Proditio Strigonii detecta.

Proditionis crimen Autoribus suis si non semper damnosum, at ignom inioſum tamen semper fuit, ut mirum sit reperiri aliquos qui ad proditionem operam suam commodent. Strigonii hoc tempore miles quidam præsidiarius propter suspicionem proditionis in vincula coniectus est. Defecerat hic ante hæc tempora à Christianis ad Turcas, & præterita hyeme inde reuersus, per ignorantiam præsidiariis Strigonienſibus adnumeratus est, qui de perfidia defectionis eius cum forte ex ipso aliquid intellexissent, (sorex enim suo olerunque ipsius indicio perit) proditionis statim suspicionem de eo concipien-es, rem ad præfectum deferunt, capitur iles, torturæ subiicitur, examinatur. At le, 70. florenorum Hungaricorum pre-ium se à Bassa Budensi acceptasse fatetur, pfecto Strigonienſi vel veneno vel alia tione quacũq; sublato, armamentarium

Anno 1603. igne perderet, & arcem Turcis proderet, timore autem hactenus præpeditum diu iam cõceptum animo suo facinus perpetrare non potuisse, secrero tamen Bassæ prædicto iam notum feciſſe, Strigonium si vnquam alias, hoc sane tempore expugnatu optimum & facilimum fore, quod commeatu & exercitu prope omni destitueretur.

Proditio aduersus Electorẽ Saxoniæ patefacta.

Dresdæ sub initium Maii tres proditores detecti & ita in carcerem coniecti sunt, quorum vnus venator extitit, qui sclopum in Electorem Saxoniæ directum displodens, vitę ipsius insidiatus est, verum glande mirabiliter auersa, ipse proposito suo frustratus & in carcerem compactus est, ubi ferreis catenis ita alligatus asseruari dicitur, ut humum attingere nõ possit, quod veneficiis, modo terram ipsi attrectare liceret, statim se catenis exoluturus & ergastulo liberaturus perhibeatur, Cæterum de causa huius proditionis, & in quem potissimum Autorem redundet, alio tempore, ubi mercedem facinoris sui proditores hi acceperint, plura narrandi occasio erit.

Proditionis in Anglia prodromus.

Eodem autem mense præludiũ & protasis quasi Tragœdiæ Anglicanæ, de qua paulo post dicetur, sese aperuit, Quinq; n. ex Scotia oriundi, ibi tum in vincula cõiecti sunt, à Iesuitis uti perhibetur suborna-

ti, vt eo die quo coronationis solennitas perageretur, excitato diuersis in locis ingenti incendio, turbas Londini quam maximas darēt, quibus quod insidiose decretum esset, in actum eo commodius produceretur. Sed de conspiratione hac, suo quidem loco plura dicentur. Anno 1603.

Proditio in Comitem Mauricium intētata.

Hagæ-Comitis sub initium Iulii proditores aliquot comprahensi sunt, tres nimirum Galli & duo Poloni, qui facta per torturam quæstione confitebantur, ab Hispanis sese subornatos esse, vt comitem Mauricium ex templo forte egredientem vel aliàs per plateas incedentem, è medio tollerent, Quin & plures hinc inde cōstitutos esse, qui accepta pecunia operam suam in peragendo hoc scelere Hispanis obtulissent, itaque supplicio in proditores constituto affecti, aliquos forte à conatu tam nefario, suo exemplo deterruerunt.

Hispani porro Thenis hoc tempore congregati, de Reinberga, Neomago vel alia ciuitate obsidenda consultarunt, at paulo post, proditoribus quibusdam, quos in his locis constitutos habebant, manifestatis & punitis consilium mutarunt, Itaq; confœderati Ordines ad præcauēdas eiusmodi insidias, copiosiori finitima ista loca firmāda præsidio rati, quatuor fere mil-

Anno 1603. lium copias Reinbergam, ad ciues etiam in officio eo melius retinendum, traduxerunt.

Proditio & perfidia militū in Pesta

Sed & ex Pesta milites plurimi ad Turcas deficientes, Budam transierunt, penuriam alimentorum prætendentes, quibus Budenses tum abundare videbantur, cumpue à Bassa Budensi liberaliter accepti plenario perfruerentur stipendio, liberalitate & beneficentiam Bassæ in cælum usque extollentes, de muris ciuitatis, reliquis qui Pestæ adhuc supererant subinde prædicabant. Promiserat enim Bassa se non solutionem tantum stipendii omnibus abunde facturum, sed & ad tres vel 4. menses stipēdia ipsis prænumeraturum, ubi relicta & prodita sibi hoc modo Pesta, ad castra sua defecissent, At ipsi spretis & neglectis hisce promissis omnibus ad exhortationem præfecti sui Lehneri, constantes in Pesta velut honestos milites decebat, perseuerarunt, certissima spe freti, fore, ut breui tam pecuniarum quam alimentorum commeatu necessario satis superque subleuarentur. Nec etiam spe sua frustrati sunt; Circa 25. enim Maii nauis quædam vino & alimētis aliis probe onusta, ibi feliciter appulit, frustra expectantibus eam in Insula congregatis Budensibus, quos ex Pesta proru-

entes

entes sclopetarii, in fugam conuerterunt, tribus præcipuis Turcarum præfectis contrucidatis. Anno 1603.

Hanc autem nauem paulo post plures secutæ sunt, commeatu vario onustæ, quas Strigonienſium 500. sclopetarii feliciter, spectantib. quidem in Buda sed nihil contra tentantibus Turcis, Pestam deduxerunt.

Suburbia Albæ Regalis à nostris exustum.

Eodem die cum Tribunus quidam Turcicus ex Alba Regali deficiens, Iauarinum profugisset, & Christianis occasionem res præclare ad Albam Regalem gerendi monstrasset, ipsi tentandam vrbem rati, assumptis Strigonienſibus, Ducem hunc Turcicum noctu sequentes, ad suburbium Albæ Regalis nouum proficiscũtur, conscenso aggere illud inuadunt, diripiunt, obuios quosque sternunt & tandem eo accenso, cum insigni præda domum reuertuntur.

Pestis nonnocõmeatu & milite firmatur.

Sub initium Iulii Sultzenſis, cui absente Magistro equitum, inspectio & directio commissa erat, nauſrad Vaccium appulit, cumque Mœrsburgicum ibi cum sex cohortibus, & Trautmanstorffium cum quingentis equitibus, Nadastum item & Thurſium tribunos cum Haiducis & Huſaris inueniſſet, coniunctis statim

Anno 1603. tim viribus Pestã profecti sunt, commeatus terra eo destinatos, apertis signis deducentes. Cæterum cum & nauigia commeatu onerata aduenissent, præsidiariorum in Pesta mutatio facta est, illis qui per hyemẽ ibi fuerant, egressis, & Moersburgico cum recenti exercitu in locum eorum introducto.

Adonii à nostris desertum.

Sub finem anni præcedentis, cum ab oppugnatione Budensi nostri cessarent, Adonium castellum 4. miliaribus infra Budam situm, cuius expugnationem supra descripsimus, Hungarico milite firmatum fuit, prænumerato præsidiariis ad menses aliquot stipendio, quod acceptare tum recusarunt prætendentes, se propter pericula propugnaculo isti maximè imminentia iuramentum in conseruationem eius præstare non posse, facturos tamen quod honestos deceat milites, & daturos operam, ut omnes intelligant, nihil sua incuria damni admissum esse. Sed *res est*, inquit Martialis, *imperiosa timor*, quippè qui vires hominibus sæpe subtrahit, & ad res præclare gerendum inutiles eos reddit, accidit igitur ipsis quod Ouidius alicubi scribit:

Nos anxius omnia cogit
Quæ possunt fieri, facta putare timor.

Metu enim perterriti, vel quod periculo-

rum

rum pertæsi essent, conuasatis rebus omnibus & propugnaculo igne vastato, Strigonium sub Iulii initium sunt reuersi, ubi ab Altheimio examinati, cum nullam præter timorem & metum periculorum causam afferrent aliam, arcsto obstricti sunt, donec quid de illis faciendum, responso Præfecti seu Imperatoris belli generalis edoceretur. Anno 1603.

Angliam pestis hoc tempore grauiter afflixit, per vniuersum quidem Regnum maxime tamen Londini stragem maximã edens, ita ut ultra duo millia in ea ciuitate, vna septimana extinguerentur, Rex igitur ut lui huic & contagioni aliquo modo occurreretur mandatũ publicari iussit, quo intellexisse se non sine ingenti dolore tetatur, pestiferam in ciuitate Londinensi iem, partim propter aeris hoc quidem nni tempore inclementiam, partim vero ropter variorum populorum coronatioi solennitatem ex variis locis spectatum luentantium, frequentiam & concursum aximum indies magis magisq; augeri, q; licet voluptatem quidem nulla ex re a maiorem percipere possit, quam ex esentia & multitudine subditorum suom eo quidem tempore ad dictam ciuiem magno numero concurrentium, quo

Pestis in Anglia magna.

Anno 1603. quo communi lætitia perfundi vniuersum Regnum debeat, attamen cum metuendum sit ne contrarium eueniat, & concursus iste non tam ad lætitiam quam ad tristitiam passim amplificandam faciat, contagione pestifera non Londini tantum incrementum inde sumente maximum, sed & per vniuersum Regnum cum ingenti subditorum incommodo serpente & stragem passim edente maximam, Ornatus sese potius ad coronationis honorem facientis parte aliqua carere, quam causam hoc splendore & pompa, malis quæ ex incremento huius luis oritura quam plurima essent, aliquam præbere velle, Placere igitur sibi ut abrogentur hoc tempore & præcidantur omnia illa quæ ad essentiam quasi solennitatis ipsius non proprie pertineant, intermittatur etiam omnis pompa & festiuitas ab anteceſſoribus quidem coronationis tempore vsurpata, tam in templo, ubi coronatio peragenda, quam in solenni suo ad urbem Londinensem ingressu, cum decreuerit pompam & ludos eiusmodi omnes in hyemem usque differre, ubi ciuitatem contagione lethifera liberatam cognouerit.

Hoc quin omnibus notum faceret, inter

intermittere se non potuisse, addit partim ut ciuitatem inhabitantes ciues sumptibus parcerent, quos ex amore erga suam personam singulari facere eos in parando ornatu vario audiuisset, partim ut populus alius labore ad vrbem hanc proficiscendi superfederet, exceptis tamen iis, quorum opera solennitas hæc carere nullo modo possit, præsertim in officiis illis, quæ in tẽplo peragenda sunt, administrandis, quos tamen monitos velit, ut non plures, quam dignitas ipsorum requirere videatur, ministros secum adducant, facturi hoc modo officium sibi gratissimum. Anno 1603.

Sultanus pacem ex petit.

Varios hactenus Constantinopolis à Bassarum & Ianitsarorum discordia contentionibusque motus experta est, qui Sultanum in bello Hungarico continuando, & Rebellibus in Asia reprimendis mirifice retardarunt, itaque Sultanus ut rebus suis melius prospiceret, & motus istos omnes rectius sedaret, pacem à Rebellibus expetere visus est, serione an fraudulenter & dolo malo, est quod dubites. Euentus enim dolum eiusmodi petitionibus eius adfuisse, haud semel probauit, Rebelles certe fidem ipsi ut haberent, induci facile non potuerunt, licet ingentes ipsis honores

Anno 1603. honores offerrentur, respondentes ipsi cũ Terentiano illo, *satis diu dedisti verba nobis, satis adhuc tua nos frustrata est fides.*

Itaq; in alterum latus conuersus, cum Cæsare pacem tractare constituit, sperans pace cum alterutra parte constituta, alterã superatu eo faciliorem fore, seq; collectis induciarum tempore viribus, & commeatu iterum acquisito ad bellum redire eo paratiorem posse. Commode tum & oportune legatus Gallicus, de Comite Isolano quem ex occupata Alba Regali, cuius prę fectus fuerat, Vetzier Bassa secum superiori anno abduxerat, liberando, acturus, Sultanum conuenit, cum enim Comitem hũc aliquid valere & efficere apud Cæsarem posse putaret, hac eum conditione manumissum in libertatem asseruit, ut pacem inter Cæsarem & Sultanum tractaret fidelissimè, & si eam obtinere nõ posset, ad postulatum Sultani ei se iterum sisteret, sponsore interea legato manente. Sed & per Achmatem Bassam ad Collonitsium sequentem direxit epistolam, quam vti ad manus nostras peruenit, tibi hic lector offerre placuit. Fuit vero in hanc sententiam concepta:

Litera Achmatis Bassa ad Collonitsium.

Amico nostro Collonitsio salutem & obsequia. Quid Imperator noster potentissimus,

tissimus, per præcipuos quosdam belli Duces siue bellatores suos, nõ procul à Strigonio de pacis tractatione significari vobis iusserit, recenti vos adhuc memoria tenere non dubitamus; quod si igitur vobis ita placet, conueniemus in certo quodam loco, & tractationem istam suscipiemus, cuius confirmandæ potestatem ab imperatore nostro accipiemus plenariam, hac tamen cum conditione ut Strigonium nobis ante omnia tradatur, hoc enim facto de reliquis facile conueniemus, Vnus est verus Deus in cœlis, nos toto pectore optamus, ut pax firma & stabilis aliquando inter nos constituatur, idq; vel in miserę plebis gratiam, id Deus nouit, & nos etiã, nec dubitamus quin vobis notum sit, quæ enim mens nostra est, id etiam conamur, itaq; responsum vestrum expectamus. Quod si Strigoniũ nobis tradere non est animus, necesse non erit ad has respondere literas, si autem ita facere decreuistis, facite ut quamprimũ paucis verbis id cognoscamus, quo conuenire & tractationem istam suscipere possimus. Scitis equidem, longo vos tempore tributum Imperatori nostro dare solitos esse, quod si igitur illud imperũ, vnaq; cum debito residuo persoluatis, dedecori vobis id nõ futurum est, cum Anno 1603.

Anno 1603. ante hæc tempora idem feceritis, sed Chamus Tartaricus quid vobiscum in causa pacis agere debeat in mandatis ab Imperatore nostro clementissimo accepit, qui etiam non discessurus est priusquam transactio fiat, Quæ si intermittatur & hoc quidem tempore negligatur, multæ regiones desolabuntur, manifestum enim est regionem aliquam igne vastatam, non posse facile pristinum recuperare nitorem, Et si non obtemperaueritis hisce literis, totius huius regionis desolatio sequetur, Quæ loquor, ita me Deus amet & Imperator meus potentissimus viuat valeatque, ficta non sunt, Significate igitur nobis an pacem inire, & literis hisce morem gerere velitis, secus enim si feceritis, ne verbum quidem hac de re amplius faciemus, quod vobis ita significandum duximus.

Quibus conditionibus Turca pacem petierint.

Iam cum non ignoraret Cæsar illud quod Silius Italicus alicubi scribit:

——— ——— Pax optima rerum,
Quæ homini nouisse datum est, pax vna triumphis
Innumeris potior, pax custodire salutem
Et ciues æquare potens.

non esse omnino recusandum pacis tractationem putauit, statimque in mandatis Collauthio dedit, ut ferione an dolo malo pacem hostis peteret, assumptis quibusdã

aliis peculiariter huic negotio destinatis, Anno cognosceret, & quibus conditionibus pacem facere decreuisset, cum vero is ubi conueniissent, conditiones eiusmodi proponeret, quæ pacem ipsis cordi non esse probarent, acceptabiles vero nostris plane non essent, petentes nimirum Transylvaniam cum Pesta & Strigonio, pro quibus ipsi Agriam & Canisiam Cæsari redderevellent, pilos nimirum pro lana, aut palumbem pro columba daturi, reinfecta discessum rursus est, præsertim cum quo animo tractationem hanc suscepissent, vel inde colligere Commissariis difficile non esset, quod hostem cum 40000. militum copiis, & centenis aliquot commeatu vario oneratis nauigiis Budam transferendis, Belgradum aduenisse intelligerent. Potius igitur impediendum eorum conatum, quam tractationi huic sine fructu diutius incumbendum ratus Collonitsius, exercitū 3000. qui aditu hostem impediret, finibus imposuit, qui paulo post p̄missos aliquos, vt trāsitum tentarēt, Turcas oppresserūt, 80. vi- *Rebelles in Asia pacem se facturos simulant.*
os cōprehensis, ex quorū relatione postquodo cognitū, Rebelles in Asia pacē q̄ dē-simulasse, & si à Sultano iuuarentur, relicta ia contra Christianos in Hungariam res suas se conuersuros promisisse. Sulta-

cauendam malam de se informationem, quæ ad aures vestras sanctissimas peruenire forsitan antequam ipsi audirentur posset, partim velut homines oppressi variis conscientiarum cruciatibus, excitamur & vrgemur, ad Majestatem V. velut ad sacram anchoram confugere & supplici libello fauorem auxiliumque eius præsentissimum implorare & deprecare. Anno 1603.

III. Quid seruitiorum quæso & debitorum obsequiorum princeps aliquis expetere à subditis suis & expectare potest, quod non omne præstare quam paratissimi simus? Quot vero proceres nobilesque Catholicæ religioni addicti, persecutionem & amissionem bonorum suorum passi sunt, eiecti nimirum partim in exilium, partim in carcerem detrusi & crudelissima morte mulctati, dum matris Majestatis V. felicissimæ recordationis ad sceptrum Albionis legitimè aspirantis, commodis promouendis unice studerent? Imo quinam ad regnum hoc Majestati V. conciliandum maiorem Catholicis vnquam adhibuerunt diligentiam.

III. Quam magno quæso numero ad ulam Majestatis V. congregari videbantur, velut obsides sese sibi sistēdo, qui paratæ essent, vel mortē oppetere pro iure Maiesta-

Anno ieſtatis veſtræ, ſi ab hoſtibus forte quibuſ-
1603. dam id oppugnari contigiſſet? Quod ſi hoc fecerunt gratiæ ſibi & beneuolentiæ alicuius conciliandæ cauſa, quid facerent, vel imo quid non facerent, ut ſine odio & inuidia in regno Majeſtatis veſtræ viuere ſibi tranquille liceret?

V. Caput huius regni, quantum ad religionem quidem attinet, ſepoſitis ſectis minoribus, in quatuor conſiſtit partib. Sunt enim *Proteſtantes*, qui primas temporibus Reginæ veteris obtinuerunt; Sunt *Puritani*, qui inter ipſos admodum creuerunt; Sunt *Atbei*, vel Politici, qui ex concertationibus in religione variis, extiterunt. Sunt denique *Catholici*, qui velut repugnantes & contrarii omnibus, omnium odio & inuidiæ ſunt expoſiti, cum tolerantia ſemper fuerit inimica veritati.

VI. Partes iſtæ omnes & potiſſimum priores duæ vel tres ſupprimi & extirpari ex hoc regno non facile poſſunt, tantum igitur fauoris & beneuolentiæ nobis à Majeſtate Veſtra præſtari petimus, quantum aliis, qui diuerſæ ſunt religionis ab ea, cuius exercitium in Anglia publicum eſſe debet, conceditur, delicta enim paria vel minora, pares etiam pœnas,

vel

vel minores, & omnino nullas requirunt. Anno VII. Pyramides, arcus, poſtes, valuæ & alia Galliæ ornamenta publica Regem iſtum patrem patriæ & reſtitutorem pacis, publice teſtantur & proclamant, quod Regnum ſuum variis bellorum inteſtinorum & externorum motibus deſolatum fere & vaſtatum, ſingulari ſua prudentia à bello liberarit, & hoſtes omnes repreſſerit. At hoc ipſum eo potiſſimum medio perfecit, obtinuitque, quod exercitium religionis iberum fecit, & eos etiam admiſit, qui alia ab ea quæ publice per univerſum regnum obtinebat, religione fuerant. 1603.

VIII. Angliæ Regnum procul dubio ob ingentem Catholicorum perſecutionem, omnibus Chriſtianis populis inuſum & odioſum hactenus fuit, commercia omnia mirum in modum ſunt imminuta, bella raro ceſſarunt, exactiones & grauamina varia indies magis magisque creverunt, & ut vno verbo dicamus, mala iſſim innumera extiterunt, ut facile Majeſtati Veſtræ de ſubditis ſuis deriſſimis & miſere afflictis Catholicis iucare, præſertim ſub initium regni ve-i, *Si loquaris ad eos verba lenia, erunt tibi ui cunctis diebus*, dicebant prudentiores egis Salomonis Cõſiliarii ad Roboamũ,

Anno 1603. libertas enim post persecutionem, Phœbus est post nubila, & beneficium tempore miseriarum præstitum illud amplificat & duplo maius gratiusq; reddit.

IX. Quam gratum quæso omnibus Catholicis Principibus futurum est, quam laudabile Majestati V. vbi cognouerint, rigorem & seueritatem Elisabethæ Reginæ, cũ regia vestra lenitate & mansuetudine cõmutatam esse, & humanitatem viri restaurare ea, q̃ malè informata mulieris iracundia destruxerat & dissiparat, leone nimirum rugiente iam sedato, cum antea vel sedatus rugiẽs videretur? Quam grati vero & accepti omnes vestri subditi in Catholicis futuri sunt locis, ubi omnibus odio iam sunt & abominationi maximæ, cum viderint nullas à Majestate hastas aut carceres pro confessionis suæ sociis parati, sed potius ipsis templa & altaria ubi exercitio religionis suæ liberè vacare possint, permixti? Tunc enim oculis nostris intueri & manibus palpare nobis licebit benedictionem & pacem de qua Esa. 2. 4. scriptum legimus, quod nimirum conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & omnis populus cum admiratione dicturus est: Hi sunt semen cui benedixit Dominus.

X. Non

X. Non plus benevolentiæ & gratiæ expetimus à Majestate V. quam ut liberam nobis professionem facere liceat illius fidei & religionis, quam omnes Majestatis V. felicissimi antecessores, agnouerunt & professi sunt, à Donaldo Rege conuerso primo, ad Majestatis V. matrem felicissimæ recordationis, quæ sibi similem non habuit, & martyrii tandem coronam est adepta. Anno 1603.

XI. Religionis certè eiusmodi, quæ honoranda merito propter antiquitatem & vetustatem, quæ veneranda, propter amplificationem suam latissimam, quæ constans est & firma, propter durationem suam diuturnam, irreprehensibilis, propter doctrinam suam, quæ homines ad omnem virtutem & pietatem ducens, ab omni peccato & malitia abducit, & dehortatur, quæ grata fuit & accepta omnibus primitiuæ Ecclesiæ doctoribus, confirmata in omnibus Oecumenicis Conciliis, conseruata semper in Ecclesia, defensa à primis & Christianissimis quibusq; imperatoribus, repetita in omnibus fere historiis Ecclesiasticis, obsignata sanguine aliquot mille martyrum, exornata multis virtutibus innumerabilium confessorum, illustrata puritate & innocentia aliquot mille virgi-

Anno 1603. num: Congruationi nostræ, & consonantandem per omniaq; consentiens verbo Dei & sanctissimo Euangelio. Huius religionis usum & exercitiũ libertũ quærimus, & permitti nobis rogamus, si non in publicis Ecclesiis, saltem in domibus priuatis, si non libera per omnia permissione, at saltem toleratione sine iniuriis & molestiis.

XII. Ratum sit & indubitatum Maiestati Vestræ, quod, quantumuis protestantium & Puritanorum aliqui, commoti vel externa disciplina vitæ ciuilis & honestæ, vel innatis affectibus & motibus naturæ, vel metu pœnarum temporalium, videantur obedientiam præstare mandatis & constitutionibus Maiestatis Vestræ, soli tamen Catholici id faciant propter conscientiam suam. Ipsi enim docent, nullas constitutiones & mandata principum subditos obligare ad pœnas peccatis debitas, nec conscientias transgressione illorum grauari, quemadmodum alias peccatorum quidem onere cruciari eas constat. At Catholici meritum obedientiæ & pœnam transgressionis eorum agnoscunt, atque fatentur, nec possunt aliter, quam dolores in conscientia sua percipere maximos, vel à minima eorum transgressione,

XIII. Qua-

XIII. Quare Rex clementissime, nos subditi Majestatis vestræ deuotissimi, qui longo iam tempore exilium passi sumus, debita subiectione, testamur iam & policemur coram Deo & sanctis eius Angelis, tam fidelem & intemeratam obedientiam Majestati Vestræ præstare, quanta vnquam antehac, à fidelissimis per vniuersam Angliam & Scotiam subditis, sanctissimis Majestatis Vestræ maioribus & antecessoribus præstita est. Decreuimus enim Majestati Vestræ etiam cum vitæ & fortunarum nostrarum iactura, tam fideliter inseruire, quam olim à fidelissimis Israelitis Dauidi, & à laudatissimis militum copiis, Romanis Imperatoribus vnquam factum nouimus. Anno 1603.

XIV. Itaque expectantes consuetam Majestatis Vestræ gratiam & liberalitatem regiam, acquiescemus iam in eo, qui manu sua corda Regum & principum moderatur, & misericordiam pari misericordia compensare promisit.

Hic quidem libellus supplex Catholicorũ fuit, quem Rex acceptum Protestantib. statim exhibuit, eorũ de eo iudiciũ exploraturus, qui eadem forma alium paucis tãtum mutatis verbis ei oppositum & totidẽ sectionib. distinctum Regi obtulerunt, tali fere sententia: I. Po-

Anno 1603. I. Potentissime princeps & Monarcha, insignis perfectio præstantissimarum virtutum, sapientiæ, prudentiæ, fortitudinis, iustitiæ, *pietatis & fidei*, quibus Regiam V. Maiestatem diuinitus ornatam videmus, talis est, ut dubium nobis non sit, quin prudenti sagacitate, & maturo iudicio deliberatum & perspectum omne illud Maiestas V. habeat, quod ad Ecclesiasticam & politicam huius Regni gubernationem & administrationem facit.

Exemplū libelli supplicis, Catholicorū libello oppositi.

II. At nihilominus tamē fidelissimi & subiectissimi Maiest. V. seruitores *Protestantes* in Anglia, partim ad præcauendam *malam informationem contra pacem & tranquillitatem vestrarum Ecclesiarum & totius Reipub.* quæ ad aures vestras sanctissimas peruenire forsitan posset, partim velut *nuper non exiguo in periculo versati, ne hostibus præda fieremus*, scilicet oppressiuariis conscientiarum cruciatibus, excitamur & vrgemur ad Maiestatem V. velut ad sacram anchoram confugere, & supplici libello fauorem & *protectionem regiam* ab ea deprecari.

III. Quid seruitiorum quæso, & debitorum obsequiorum princeps aliquis expetere à subditis suis & expectare potest, quod non omne tam præsentes, quam absentes præstare quam paratissimi simus?

Quot

Quot vero proceres nobilesq; *& alii viri primarii, Christianæ religioni addicti, Maiestatem semper V. obseruarunt? quot quæso propter conscientiam suam, temporibus Reginæ Elisabethæ felicissimæ recordationis, ut obedientiam suam debitam declarantes, & fluctuantes amicorum animos confirmantes, ad pacem conseruandam, omnemq; de iure vestro, disceptationem, & perfidiam erga principem suum legitimum præcauendam, colloquia crebra instituerunt, de titulo & successione ad sceptrum Albionis Maiestati vestræ legitime conferendis & tradendis?* Imo quinam in regno hoc Maiestati vestræ conciliãdo maiorem *Protestantibus* vnquam adhibuerunt diligentiam? Anno 1603.

IIII. Quod si hoc *viuente adhuc & florente Elisabetha Regina, non quidem tacite cum Maiestate V. sentiendi, sed æquitatis, iusticiæ & veritatis per conscientiam suam confirmandæ causa* protestantes fecerunt, quid facerent, vel imo quid non facerent, ut sine odio & inuidia in regno Maiestatis V. viuere sibi tranquille liceret? *Iam vero hæreditaria successione Regno ad Maiestatem V. legitimè deuoluto, eaq; inter nos iam regnante, qui non* congregaremur ad aulam Maiestatis V. velut obsides nos ibi sistentes, qui *etiam cum iactura bonorum nostrorum* parati essemus, vel mortem oppetere pro iure Maiestatis V. si ab hosti-

Anno 1603. hostibus forte quibusdam id oppugnari contigerit?

V. Caput huius Regni, quantum ad Religionem quidem attinet, consistit in *duabus* partibus. Sunt enim *Pontificii, qui posterioribus Reginæ defunctæ temporibus per generalem quadam negligentia boni ordinis, & remissionem iustitiæ, non parum inter nos creuerunt.* Sunt etiam Protestantes, qui velut repugnantes & contrarii *Pontificiis*, odio & inuidiæ ipsorum sunt expositi, cum tolerantia semper fuerit inimica veritati.

VI. *Duæ hæ partes simul subsistere non possunt, quid enim iusticia cum iniustitia habet commune? Quid commune est tenebris cum luce? Quid Christo cum Belial? Quid fides commune habet cum incredulitate? Quid Christiani Protestantes cum Pontificiis idololatris?* Tantum igitur fauoris & beneuolentiæ nobis à Majestate Vestra præstari petimus, quantum *alii Principes*, qui diuersæ sunt religionis ab ea, cuius exercitium in Anglia publice *viget floretque, subditis suis* præstant & concedunt. *Alii principes liberum Protestantibus exercitium non permittunt, ut Deo suo in Spiritu & veritate seruiant, Pontificiis suis subditis permixti, speramus igitur & nos, à Vestra Maiestate non permissum iri Pontificiis, ut Deum idololatricis suis cultibus, blasphement & contumelia affi-*

ita afficiant, Christianis quidem vestris subditis permixti, cum enim causa nostra par vel melior ipsorum causa existat, ius etiam nostrum ut par vel melius ipsorum iure sit, omnino necessum est. Anno 1603.

VII. Pyramides, arcus, postes, valuæ & alia Galliæ ornamenta Regem istum patrem patriæ & restitutorem pacis, publice testantur & proclamant, quod Regnum suum variis bellorum intestinorum & externorum motibus desolatum fere & vastatum, singulari sua prudentia à bello liberarit, & hostes omnes repressérit. At hoc ipsum eo potissimum medio perfecit, & obtinuit, *quod sciret & certo statueret Iesuitas causam & fomitem omnis discordiæ & seditionis, & propterea in perpetuum ex regno suo proscribendos & relegandos esse. Eadem autem ratione & Maiestas vestra pater patriæ & defensor fidei merito nominabitur, si sanctissimam suam personam à nefariis consultationibus machinationibusque infidelium suorum subditorum tueatur, Regnum suum ab hostilibus insultationibus externorum hostium defendat, & ne sanctissimum Dei Opt. Max. nomen blasphemiatur pessimorum idololatrarum dehonestetur, modis omnib. caueat prospiciatq. Quæ omnia quidem prudenter Maj. V. perficiat, si ex regno suo excluserit & in perpetuū proscripserit eos seditio-*

sos

Anno 1603. *sos Iesuitas & sacerdotes perfidos, cum adhærentibus ipsis discipulis & fautoribus omnibus.*

VIII. Angliæ & *Hiberniæ* regnum, proculdubio *ab infidelitate & perfidis machinationibus crudelissimorum Romano Catholicorum totum fere desolatum & spectaculo omnibus populis exhibitum est*, commercia omnia mirum in modum sunt imminuta, bella raro cessarunt, exactiones & grauamina varia indies magis magisq; creuerunt, & ut vno verbo dicamus, mala passim innumera extiterũt, ut facile sit Majestati V. de subditis suis deuotissimis, fidelibus nempe *Protestãtibus*, iudicare, præsertim sub initium regni sui; *Si Iehoua sit Deus ipse, sequere eum, si autem istorum Baal, sequere eum, consilium erat sancti Eliæ populo Israelitico cõmunicatum, at permittere duas diuersas religiones, nihil est aliud, quam pendere incertum inter duas opiniones.*

IX. Quam gratum quęso omnibus *Christianis* principibus futurum est, & quam laudabile Majestati V. ubi cognouerint, Reginæ Elisabethæ *ingenuitatem & candorem*, Regia vestra *cõstantia cõtinuari & perfici, & prudentiã* viri restaurare ea, quæ non satis informata *iusticia* mulieris, *manifeste præterierat, cum leo rugiens, pedibus suis iam conculcat Dei & veritatis eius hostes, sub hoc principe & hoc*

& hoc in regno, vbi sedatus etiã leo non minus rugiente crudelis antea fuerat. Quam grati vero & accepti omnes vestri subditi *in toto orbe Christiano futuri sunt, qui non ita pridem defectum & mutationem in Regno vestro metuere* videbãtur, cum omnes viderint, *Maiestatem V. veram religionem constanter tueri, & non permittere, vt Pontificii idololatræ vel Confessoribus veritatis molesti sint, vel exercitio superstitiosæ suæ impietatis, verum Dei cultum contaminent?* Tunc enim oculis nostris intueri, & manibus palpare nobis licebit benedictionem & pacẽ, de qua Esa. 2.4. scriptum legimus, quod nimirum conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & omnis populus cum admiratione dicturus est; Hi sunt semen, cui benedixit Dominus. Anno 1603.

X. Non plus beneuolentię & gratiæ expetimus á Maiestate V. quam *vt autor ea sit subditis suis, ut Dominum & faciem eius constãter inquirant, ut impietatem & idololatriam abroget, prohibeat calumnias, religionem falsam impediat, & faciat vt in omnibus totius regni locis, ametur & propagetur vnica & vera religio illa, quam Maiestatis V. felicissimi antecessores, Eduardus VI. & Elisabetha laudatissimæ & beatissimæ recordationis, constanter propugnarunt, quam Maiestas V. ipsemet ad hunc vsq; diem semper professa est, & etiamnum cum peculiari Zelo*

Anno *& ingenuitate profitetur.*

1603. XI. Religio certe eiusmodi, quæ honoranda merito propter antiquitatem & vetustatem; quæ veneranda propter *bonum suum ordinem; quæ mirabilis est propter efficaciam suam singularem; Certa propter veritatem;* irreprehensibilis propter doctrinam suam; quæ homines ad omnem virtutem & pietatem ducens, ab omni peccato & malitia abducit & dehortatur: *Religio à Deo ipso approbata: agnita per sapientiam suam, & stabilita per Spiritum Sanctum suum; plantata in cordibus electorum;* quæ grata fuit & accepta omnibus primitiuæ Ecclesiæ Doctoribus; Confirmata in *optimis* Oecumenicis conciliis; Conseruata semper in Ecclesia; defensa à primis & Christianissimis quibusque Imperatoribus; *expressa in sactis literis;* Obsignata sanguine aliquot mille martyrum; *Et constanter prædicata ab omnibus sanctis* confessoribus; *de qua nemo adhuc præter hostes eius dubitauit, quæ non est mutata nisi ab hæreticis; Quæ est vnica ista religio comprehensa in* verbo Dei & sanctissimo Euangelio. *Idololatria vero & impietas Pontificia est, quam petimus abrogari & extirpari, si non nouo aliquo edicto, at saltem legitima & seueriori executione constitutionis optimæ, & mandatorum, quæ in hunc finem iam olim lata sunt & promulgata.*

XII. Ra-

XII. Ratum sit & indubitatum Majest. V. quod quantumuis *Pontificiorum* aliqui, commoti vel externa disciplina vitæ ciuilis & honestæ, vel innatis affectibus & motibus naturæ, vel metu pœnarum temporalium, videantur obedientiam præstare mandatis & constitutionibus Majestatis Vestræ, soli tamen *Protestantes* id faciant propter conscientiam suam. *Ipsi enim abominandas hasce propositiones, & detestandam doctrinam profitentur atque tuentur. 1. Quod Papa liceat Reges excommunicare. 2. Quod potestatem habeat subditos à fide & obedientia Regibus debita absoluendi. 3. Quod possit Reges exautorare & Corona sceptroque seu potestate regia priuare, aliis in locum eorum substitutis. 4. Personam aliquam priuatã, executionẽ pœnarum in principem vel Regẽ facere & supplicium de eo excõmunicato sumere posse, interficiendo scilicet eum vel veneno, vel alia quacunq; ratione. 5. Hæreticis nõ esse seruãdam fidem. 6. eos omnes qui cum Romana Ecclesia non consentiunt, hæreticos esse, & sic consequenter ipsam etiã maiestatẽ vestram hæreticorũ numero accenseri. 7. Nullã spiritualem vel Ecclesiasticam personam posse perfidiæ & proditionis crimẽ in Rege aliquo politico perpetrare, ea ratione quod eiusmodi personæ nulli sint subiecti nisi soli Papæ. Has & similes propositiones ipsi tuentur, & profecto non modo in conscientiis suis* Anno 1603.

Anno 1603. *dolorem non percipient, sed existimabunt insuper bonum sese & meritorium aliquod opus facere, si non solum de voluntate Papæ, mandata vestra violent, sed vim etiam Maiestati V. inferentes, sanctissimam personam vestram, quod Deus clementissime prohibeat, nefarie interficiant. At vero protestantes didicerũt Cæsari dare quod est Cæsaris, & Deo, quod est Dei, didicerũt itẽ omni potestati supereminentiori parere & subditi esse tãquam ordinationi Dei*, nec possunt aliter quã dolores in conscientia sua percipere maximos, vel à minima *legitimorum, necessariorum & vtilium Magistratus sui* mãdatorum transgressione.

XIII. Quare Rex clementissime, nos Maiestatis V. devotissimi, *& fidelissimi* subditi, debita subiectione testamur iã & policemur corã Deo & sanctis eius Angelis, tam fidelem & intemeratam obedientiam Maiest. V. præstare, quanta vnquam antehac à fidelissimis per vniuersam Angliam & Scotiam subditis, Maiestatis V. maioribus & antecessoribus præstita est. Decreuimus enim Maiestati V. etiã cum vitæ & fortunarum nostrarum iactura tam fideliter inseruire, quam olim à fidelissimis Israelitis, Dauidi, à laudatissimis militum copiis Romanis Imperatoribus vnquam factum nouimus.

XIIII.

XIIII. Itaq; *non dubitantes de constanti Ma-* Anno
iestatis V. in vera Religionis professione perseue- 1603.
rātia, & sollicito circa omnis idololatriæ & impie-
tatis abrogationem studio, acquiescemus iam in eo, qui manu sua corda Regum & principum moderatur, & *qui honorantes se, vicissim vult honorare.*

Hic igitur libellus supplex fuit, Catholicorū libello à Protestantib. oppositus, quo tamen nondū contenti protestantes, insuper & examen rationum instituerūt, propter quas Catholici exercitium religionis suæ liberum sibi permittendum arbitrarentur, & simul examini huic conclusiones suas, cur exercitium Catholicæ religionis in Anglia non ferendum censerent, adiunxerunt. Itaq; ne quid horum desideres lector, & examinis & conclusionum summam ut breuiter ita fideliter annotabimus, iudicium tibi liberum in omnibus relinquentes. Argumenta igitur Catholicorum 12. examinarunt. 1. *Quod Catholici paratissimi sint ad debitam obedientiam & seruitia quælibet Regi præstanda.* Respondent Protestantes, 1. id intelligendum esse cum conditione, si exercitium religionis suæ Rex ipsis permittat, sin minus, proditionē sese, more sibi consueto, aduersus personā Regis molituros. 2. Non posse Catholicos

Examen argumentorum, quibus Catholici pro impetrādo exercitio religionis suæ libere vsi sunt.

Anno 1603. Regi fideles esse quam diu Papa potestatē habeat, eos ab obedientia principibus debita absoluēdi. 3. Catholicæ religionis Ecclesiasticos, vi religionis suæ, sese eximere ab imperio & potestate Regis, & interim obedientiam peregrino cuidam Dominō præstare, negantes ita quodammodo Regem suorum subditorum verū dominum esse. 4. Obedientiam & seruitiorum debitorum declarationem, non esse causam sufficientem, ut propter eam Rex idololatriam & Catholicorum religionē cum verbo Dei pugnantē in Regno suo admittat.

II. *Catholici multum laboris & operæ insumpserunt in tuendo iure Regis & sceptro Albionis ipsi conciliando.* Respondent Protestantes 1. Hoc si verum esset, non desudassent tātopere circa titulum Infantis defendendum. 2. Eos quicquid fecerunt, feciſſe non propter cōscientiam aut iusticiam, sed spe obtinendi permissionem iuxta illud Iudæ proditoris: Quid vultis mihi dare, & ego tradam. 3. Videri hoc factum esse temporibus Reginæ Elisabethæ, atque ita non expers esse perfidiæ, ut Rex Iacobus inde de fide ipsorum erga se facile statuere possit. 4. sed posito eos adhibuisse diligentiam aliquam in promouendo Rege, feciſſe tamen illud ex debito, ratione nempe officii

sui

sui, nec propterea exercitium idololatriæ posse concedi, quæ in contumeliam diuini nominis vergat. 5. Multo minus autē pontificii admittendi, quod eorum studium, vires suas augendi & cōfœderationes subinde nouas faciendi, merito omnibus debeat esse suspectum. Anno 1603.

III. *Puritani & Athei ad Religionem Protestantium pertinentes in Anglia tolerantur, ergo multo magis Catholici tolerandi.* Respondent Protestantes, 1. Si qui à publico religionis suæ exercitio sese seiparent, eos non tolerari in Anglia, sed puniri iuxta leges & constitutiones Regni. 2. Puritanorum (quos ipsi quidem ita nominent) non esse Protestantibus in religione cōtrarios. 3. Atheos qui publicè quidem impietatem suam profiterentur, in Anglia non reperiri. 4. Ex admissione vel toleratione Puritanorum, non sequi, Pontificios etiam esse admittendos, 1. Quod Puritanorum religio non, vt Pontificiorum quidem, verbo & Maiestati Dei, Maiestati item & dignitati Regis cōtraria sit, 2. Quod numerus malorum subditorum non sit multiplicandus, 5. Quod periculosior sit Pontificiorū quam vel Puritanorum vel Atheorum admissio, propter eorū simulatam pietatem, perfidiam & multitudinem.

Anno 1603. IV. *Rex Galliæ vtriusq; religionis exercitium liberum fecit, quæ causa est pacis in Regno suo iã vigentis.* Respondent Protestantes, 1. Causam pacis in Gallia non fuisse admissionem sed relegationem potius & exterminationem Iesuitarum. 2. admissionem contrariæ religionis in Gallia, ex necessitate factam, quod de viribus suis eam supprimẽdi & extirpandi, ut quidam temporibus Caroli 9. & Henrici 3. factũ, Catholici diffiderent. 3. admissionem istam Regi pernitiosam non esse, nec ea aliquid contra personam Regis attentari, ut id Anglia à Catholicis sæpe factum. 4. Non exemplis sed regulis iudicandum esse. 5. Regẽ Galliæ cum pontificiis facere, & propterea aliis in quęstione religionis, præiudicare nõ posse. 6. Regem Galliæ permittere prædicationem verbi Dei, exercitium nempe religionis per se sanctæ & iustæ, inde autẽ non sequi, Regem Angliæ debere admittere exercitium religionis pontificiæ, per se Antichristicæ & impię, cum dedecore & periculo coniunctæ. 7. Regem Galliæ exercitium permittere eiusmodi hominibus qui ab insidiis erga personam eius immunes, eum Dominum suum agnoscunt, cũ ab Angliæ Rege exercitiũ petant eiusmodi homines, qui Regem habent pro hæretico,

tico, regia sua dignitate per Papam exsuē- Anno
do, qui peregrinum quendam Dominum 1603.
agnoscunt, qui mutationem moliuntur, qui paratissimi sunt, ad nutum Papæ, arma capiendi, personamq; Regis & veram Euangelii doctrinam opprimendi & extirpandi.

V. Religionis pontificiæ exercitio admisso, Angliam odio Christianarum nationum liberatum iri, cui propter persecutionem Catholicorum iam sit exposita. Respondent Protestantes, 1 Angliam non esse omnium Christianarum nationum odio expositam, nec persecutionem Catholicorum instituisse, sed proditores puniuisse. 2. eos qui Angliam odio habent, animum propter admissionē pontificiorum non mutaturos, cum doctrinam eorum approbare Anglia non possit. 3. Admittere pontificios, ut odium & maleuolentia quorundam vitetur, idem esse ac incidere in Scyllam, ut Charybdin vites. 4. Odium quo Angliam aliqui ex malo fundamento prosequuntur, & damnum quod inde existere potest, non esse cum dedecore & infinitis periculis, quæ cum admissione pontificiæ religionis coniuncta sunt, vel in minima parte conferenda. 5. Cessationem odii Catholicorum, incertam esse, vt tam periculosa admissio, propterea non sit facienda.

Anno 1603. *VI. Admissio hæc faciet ad abrogationem insidiarum à Catholicis huic regno hactenus structarũ, promouebit commercia & exactiones grauaminaq; multa leuabit.* Respondent Protestãtes, 1. Non religionem, sed regnandi libidinem, cũ vindictæ in subditos huius Regni cupiditate insidiarum causam fuisse, ut earum finis à permissione religionis non dependeat. 2. Posito, religionem esse causam, eos tamen non tolerationem sed alterationem & immutationem religionis spectare, ut permissio finem insidiis facere non facile possit. 3. Posse autem insidias finiri etiam sine hac permissione, hostilibus nimirum neruis ad malefaciendũ amputatis. 4. non esse facienda mala, ut eueniant bona, permissionem autem idololatriæ omnium confessione malam esse. 5. Duorum malorum minimum semper eligendum, insidias autem corpori forsitan & fortunis, at permissionem hanc animabus pernitiosam esse.

VII. Permissio hæc grata erit & accepta omnibus Catholicis principibus. Respondent Protestantes, 1. Alterationem & mutationem, principibus istis gratiorem forte esse quã tolerationem & permissionem, nec tamen eam propterea admittẽdam. 2. Causam iniustam & impiam non esse in gratiam Catholi-

tholicorū principū admittendā. 3. Iudicare Anno
a. eos ipsos debere an iustū sit in cōspectu 1603.
Dei hominibus magis obedire quam Deo,
Act. 4.10 4. Non esse q̄rendum ut hominibus placeamus, sed Christo. Gal. 1.10.

VIII. Facta hac admissione, omnes totius Angliæ subditi, qui passim Catholicis regionibus sunt inviſi, grati ipsis erunt & accepti. Respondent Protestātes, 1. Angliæ subditos non aliā ob causam, quā ꝓpter religionē q̄ cum omnibus Protestantib. principibus Angli communē habent, regionib. Catholicis inviſos esse. 2. Protestantes Angliæ non esse proditoribus & seditioſis adnumerandos, cum dissensio in religione, consensionem animorum non admittat. 3. Nullum esse fidū eorum affectum quorum sit diuersa fides, dixisse Hieronymum. 4. Non tolerationem, sed alterationem & immutationem subditos Angliæ Catholicis regionibus commendare posse. 5. Non esse peccatum commodi alicuius consequendi causa faciendum. 6. Mala in Republica non esse permittēda spe incertæ gloriæ & dignitatis.

IX. Permissionem hanc pacem certo consecuturam, futurumq̄ vt gladii in vomeres, & lāceæ in falces conuertantur. Respōdent Protestantes, 1. Religionem non esse veram causam, qua pax in Anglia turbetur. 3. posito

vero

Anno 1603. vero religionem esse causam discordiarũ, Euangelium tamen quòd sublatum cupiant, nõ posse negari & aboleri, vt finis bellorum ex hac permissione non expectandus sit. 3. Ex permissione ista contentionẽ, odium & inuidiam, atq; ita bellum potius quam pacem existere posse. 4 proditionẽ aliquoties Catholicos sub iugo Reginæ Elisabethæ molitos esse, ut quid eo iam excusso facturi sint, facile inde colligi possit, præsertim cum veritatem odisse Papa non desistat, & Catholici obedientiæ eius nuncium nondum remiserint. 5. Impossibile esse, ut permissionem hanc vera pax & cõcordia sequatur, cum ea peccatis in Deum non sit concilianda aut promouenda. 6. Maledictam debere esse omnem concordiam, quæ destituta sit sinceritate veritatis, dixisse Irenæum.

X. *Maiores & antecessores Regis omnes Catholicam religionem agnouerunt & professi sunt.* Respondent Protestantes, 1. Verum hoc non esse, cum religio põtificia ante aliquot annos primum fuerit introducta. 2. Henricum 8. Eduardum 6. & Elisabetham Reginam, Regis antecessores, pontificiã Religionem non esse professos. 3. posito quod antecessores Regis Põtificiæ religioni fuerint addicti, non tamen sequi hunc propterea

pterea Regem, talem esse etiam debere, cũ non exemplis sed regulis sit iudicandum. 4. Nec antiquitatem, nec consuetudinem posse aliquid per se bonum facere, & non tam veterem quam optimam viam esse eligendam. Mat. 15. 2. Act. 7. 51. 52. 1. Pet. 18. 5. Non imitandos esse parentes in malo, iuxta dicta Zach. 1. 4. Ezech. 20. 18. Psal. 78. 8. Psal. 95. 9. Amos 2. 4. Anno 1603.

XI. Catholica religio est vetus, irreprehensibilis in doctrina, consentiens verbo Dei, &c. Respondent Protestantes, esse petitionem principii, incertum nempe & tale quid, q̃ nunquam probari possit, pro certo & iam demonstrato positum, nihil igitur inde probari posse.

XII. Soli Catholici Regem venerantur, & mãdatis eius obtemperant propter conscientiam. Respondent protestantes, esse hoc argumentum eiusdem valoris cum primo, & in responsione ad argumentum primum, satis etiam esse confutatum.

Cæterum examinatis hunc in modum argumentis Catholicorum, quæ ipsi pro impetrando exercitio religionis suæ libero attulerant, Protestãtes 15. alia opposuerunt, quæ pari breuitate & fide annotata, tibi similiter exhibebimus.

Argumenta Protestantium contra Admissionem religionis Pontificiæ in Anglia.

1. Admissionę Pontificiæ religionis Deum

Anno 1603. um offendi, cum nihil aliud sit, quam admissio impietatis & idololatriæ, quæ Deum ad iram commoueri certissimum sit.

II. Oportere Regem insistere laudatissimis piorum Regum in veteri testamento vestigiis, qui cõmendantur in S. literis propter abrogationem, non autem propter admissionem & propagationem cultuum idololatricorũ. Exempla sunt Asæ, 2. Paral. 14. 3. Iosaphat, 2. Paral. 17. 6. Iosiæ, 2. Reg. 23. Iacobi Patriarchæ Gen. 35. 5. & aliorum.

III. Propter propugnationem & admissionem contrariæ religionis & cultuum idololatricorum Reges veteris Testamenti in reprehensionem incurrisse, ut ita permissio ista merito Regi Angliæ sit vitanda. Exempla sunt, Ioas, 2. Reg. 12. 3. & Azariæ, 2. Reg. 15. 4.

IIII. Duabus sedere sellis, & dubium inter duas pẽdere opiniones, seu neutri parti adstipulari velle, regium non esse, quod quidem faciant qui duas diuersas religiones admittant. Quousq; dicit Elias claudicatis in duas cogitationes; Si Iehoua est Deus, ite post eum, si vero Baal, ite post ipsum. 1. Reg. 18. 21. Et extendam manum meam super eos qui adorant iurantes per Iehouam & per Malcham, dicit Dominus, Sophoniæ 1. 4. 5.

V. Ad-

V. Admissionem pontificiæ religionis, facere ad pōtificios in superstitione & impietate sua confirmandos, de quibus conuertendis alioqui spes aliqua supereſſet, vt intermitti merito debeat. Anno 1603.

VI. Permissionem religionis pontificię facere ad omnium Christianorum principum & populorū animos commouendos & offendendos, ut merito sit intermittēda.

VII. Admissionem pontificiæ religionis malè decere Regiam in Anglia Maiestatem, quæ semper à veræ religionis partibus steterit, & in compensationem studii sui pro veritate hactenus insumpti, tali iā Regno præficiatur, ubi Euangelium probè plantatum radices iam egerit, ut quod ei contrarium est admittere non debeat.

VIII. Admissionem hanc non facere ad stabiliendum regnum, & Regem tuendū, cum impossibile sit, ut Pontificii subditos sese ,ptestantib. principib. fideles præstent.

IX. Admissionem hanc, causam præbere seditioni & tumultibus motibusq; variis, Angliæ Regno multum pernitiosis, cum contraria sit constitutionibus aduersus pontificios iam factis, & pontificiis ad varia tentandum & moliendum, ansam præbeat.

X. Admissione hac obediētiā & reverē-

tiam,

Anno 1603. tiam, quam Pontificii Papæ præstant, confirmari & augeri, libero enim religionis istius exercitio plures indies excæcatum & ad honores Papæ maiores deferendos excitatum iri.

X. Exercitio hoc admisso, futurum ut Pontificii religionem veram detestentur & protestantibus insultent triplo plus quã antea factum, excitatum etiam ea iri in Pontificiorum animis desiderium Papatũ in Anglia restaurandi & confirmandi, ut satius sit permissionem nullam facere.

XII. Papam in nullis regionibus, ubi quidem plenariam habeat potestatem, liberum Protestantibus exercitium relinquere, sed Iudæos & Turcas tolerare, Protestãtes vero igne & gladio persequi, quod ex multis edictis, ex Hispanica inquisitione, ex bonorum confiscatione & actionib. variis aduersus Protestantes passim institutis, post experientiam quotidianam pateat, non igitur esse concedendum, vt adulatores eius, libertate eiusmodi apud Protestantes principes fruantur, iuxta illud: *Eadem mensura, &c.*

XIII. Pontificios ipsos Regem istum atheum pronunciare, qui contrariam religionem in suo Regno admittat, ut ludibrio Regem habere videantur, libertatem

& per-

& permissionem eiusmodi ab eo expeten- Anno
tes, sic enim scripsisse Weston. de triplici 1603.
hominis offic. lib. 3 cap. 14. pag. 186 Religio promiscua principem ostendit atheum, Item ibid. pag. 187. Qui magistratus liberum suis facit, promiscuũ vsum & coalitionem religionum, existimatur inde, velle religionem omnem eneruare paulatim ac sensim, neq; ex animo ingenuè vllam colere, aut magnopere curare, siquidem cordi si modo esset principi religio, nequaquam impunè permittere vagari ritu, adscititios prophanos, aut cultũ diuinæ religioni prorsus contrarium.

XIIII. Nouisse pontificios, ex conscientiarum suarum testimonio convictos, publicis scriptis prodidisse, impossibile esse, ut Rex aliquis inter contrariæ religionis subditos, tutus & securus viuat, ut proditores non immerito Regiæ Maiestatis cẽsendi sint, qui eam scientes in tantum adducere discrimen nõ vereantur. Sic enim scribere Weston. ibid. lib. 3. cap. 14. pag. 191. inter omnes minus tutus videtur princeps, nec sane benè protectus, qui arbitrarias hasce religiones in Repub. permittit. Nam aut in alteram partem propendet, vel in medio & quasi æquilibrio suspensus cõsistit. Si aliquo inclinet, aduersaria factio

Anno 1603. cum pro hoste habebit, cum Dei ipsius, tũ sacrorum & suarum rerum. Si neutro vergat, ab omnib. pro atheo habebitur. Et sane Orthodoxi cognoscentes hæresim adeo Deo esse exosam ac hominib. pestiferam, videntesq; principem hæreticis colludentem, ac illis indulgentem, hæreticum ducent animo, aut atheum, quod si fecerint, quid sacri aut tuti supererit in diademate, imo quid politici?

XV. Omnes Principes & Reges Christianos obligatos esse, ad persequendam & modis omnibus excruciandam meretricem Babylonicam, non decere igitur, ut à Rege in Angliam admittatur, & halcyonia ipsi præstentur. Expressum enim esse Dei mandatum; Reddite ei, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplũ, secundum opera eius, in poculo quod propinauit, propinate ei duplum. Quantum glorificauit sese & luxuriata est, tantum date ei cruciatum & luctum. Apoc. 18. 6. 7.

Seditiosi in viam reuocari nulla ratione possunt.

Quantum damni hactenus à seditiosis militibus, post nefariam à castris Archiducis defectionem in Hostrata magno numero sese congregantib. non in Belgio solũ, sed & in vicinis locis datum sit, alibi dictũ est. Cum igitur nec asperis nec leuibus remediis ab instituto abduci possent, essentque

que plane obſtinati & ad obedientiam re- Anno
dire prorſus recuſarent, Octauius Frangi- 1603.
panis, Apoſtolicus in Belgio legatus Hoſtratam profectus eſt, ut ſequeſtrum agens in viam eos reduceret, Hunc ipſi honorifice primo exceperunt, at poſtea cum nullam pecuniam ſed promiſſa tantum & ſpē afferre eum perſentiſcerent, quam ipſi precio non emendam putarent, abrupta omni tractatione, ſine fructu eum á ſe dimiſerunt, qui ne quid quod ad emendationem eorū faceret, intermittere videretur, ſcriptis poſtmodū tentare eorum animos cœpit, literas ad eos dirigens, quib. quam iniuſtum & fœdum admitterent facinus cū demonſtraſſet, ut ab incepto deſiſterent, & ad motus hoſce nefarios cōponendos trāſigendosq; animū conuerterent, eos amice & fideliter hortabatur. At ipſi cōſciſſas ſtatim & diſcerptas literas pedib. cōculcarunt iram & furorem ſuum, ingenti ſimul ſtrepitu & multa ſcloporum exploſione cōteſtantes. Mox miſſis Antuerpiā hoſtilib. literis, ingentem pecuniæ ſummam, vna cū ſcloporum, tormentarii pulueris, haſtiliū, gladiorum, & id genus aliorum armorum inſigni multitudine, expetūt, addita interminatione, ſe niſi proximo poſt acceptas literas triduo, petitioni ſatisfacerent, molēdi-

Anno 1603. na & quicquid ante portas esset, igne euersuros, nec permissuros, ut quicquam cibariorum ex pagis in ciuitatem transportetur. Postea ad ciuitatem Aquisgranēsem, Episcopum Cameracensem, Principem Iuliacensem & alios, similes miserunt literas, satis magnā ab iis pecuniæ vim extorquentes, præterea cum præsidiariis in arce Cameracēsi constitutis, clandestina tractantes consilia, tantum effecere, ut si sublato per insidias & extincto prius arcis subpræfecto (præfectum enim verum tum Cameracenses desiderabant (factiosos in arcem recepturos pollicerentur. Atq; successu deliberatio & promissio caruit, Literas enim hac de re scriptas, præsidiariorum tres arce egressi, tabellario cuidā in ciuitate tradunt, ad seditiosos non procul à Cameraco tum latentes perferēdas, at ille dolum subesse ratus, acceptas literas senatorii ordinis viro cuidam primario offert, qui conuocato senatu eas aperit, legit, rem omnem ordine prædicto cognoscit; re igitur ad subpræfectum arcis delata, comprehensi, de indicio tabellarii, prædicti tres præsidiarii & post institutam quæstionem laqueo suffocati sunt, 9. præterea aliis ad remos damnatis. Discedentes autem inde re infecta seditiosi, cum Fridericum Vandenber-

Proditio in arce Cameracensi.

denbergium exercitum quendam pro cõ- Anno
fœderatis Luxemburgo eiiciendis coegis- 1603.
se audirent; directo ad locum ubi subsiste-
re eum sciebant itinere, incautum & nihil *Seditiosi*
tale metuentem oppressuri properant. At *propositio*
Vandẽbergius de aduentu eorum certior *suo frus-*
factus, ex pago ubi cõgregatos suos habe- *trantur.*
bat, intẽpesta nocte discessit, ut proposito
suo tum etiam seditiosi frustrarentur. Hos-
tratam igitur reuersi pagis vicinis impe-
rant, ut de mille & quingentis equis sibi
tradendis cogitationem mature suscipiãt,
impositos eis totidem sclopetariis in præ- *Proditio*
dam rursus emissuri; verum proditio pau- *inter sedi-*
lo post inter eos exorta est, duce eorum *tiosos de-*
primario cum octo præfectis præcipuis, *tecta.*
conspirationem alentibus, & cum Friderico Vandenbergio clam sentientibus, qua de re cum rumor percrebuisset, comprehensi atq; de pedibus suspensi, iaculis cõfixi sunt, aliis in locum eorũ suffectis. Acceptos autem ab agricolis equos in perni- *Seditiosi*
ciem Aquisgranensium armarunt, in quo- *pecuniã*
rum ditionem cum traiecto Mosa venis- *ab Aquis*
sent, exactionem ipsis vndecim millium *granensi-*
florenorum imperarunt, non prius disce- *bus extor*
dentes quam quater mille Ioachimicos ac- *quent.*
cepissent; Hostratam autem reditum pa-
rantes, Hermannus Vandenbergius cum

Anno 1603. insigni equitatu, priusquã Mosam traiicerent, oppressuros eos aduolat, quo cognito cum præda sese grauatos nimia sentirent, & Mosam traiicere ante aduentum Comitis diffiderent, misso ad Ordines confœderatos veredario, opem & auxilium eorum expetunt, qui transitu circa Grauiam ipsis patefacto, cum equitatu suo Hostratam eos deduxerunt. Atqui dissensio tum inter eos facta est, de inspectione & directione imposterum obtinenda, quam Hispanis & Italis, qui eã hactenus habuerãt, permittere amplius Germani & Valones nolebant, Ne igitur ex leui scintilla flammam darent, & ignem in suam perniciem ipsimet excitarent, conuenit inter eos, ut in duas turmas diuisi numerarentur, Quo facto cum Germani & Valones, Hispanos & Italos numero superarent, ipsis directio cessit. Interim literæ ab Hispaniæ Rege aduersus eos diriguntur, quibus cum præfracti & obstinati omnino deprehenderentur, & nulla admittere remedia vellent, sed nec ab Ecclesiasticis quidem abstinerent, & in amicos pariter vicinosq; sæuirent, mandatum erat, vt omni ipsis venia denegata, præclusoq; ad gratiam aditu, vi summa quantum fieri posset ex Belgio eiicerẽtur. At ipsi vires suas subinde augentes, & Hostratæ Boxteliam etiam

Dissidiũ inter seditiosos.

non procul à Syluaducis diſſitam adiun- Anno
gentes, nouis ſe munitionibus firmarunt, 1603.
& miſſis ad Eccleſiaſticos Syluæducis lite- Boxtella
ris, mille florenos ſibi quam primũ nume- á ſeditio-
rari expetiuerunt, cumq; pecuniam iſtam ſis occu-
impetrare nõ poſſent, agricolas ne quid in pata.
vrbem deferrent, vi ſumma prohibuerũt.
Sed & inſidias vrbi ſtruentes, conſpiratio-
nem cum præſidiariis qui in ea erant alere Syluadu-
deprehenſi ſunt, itaque Magiſtratus vrbi cis præſi-
ſuæ valde metuens, omnes, quorum diarius e-
Soo. erant numero, vna cum Achicurtio nect.
præfecto, vrbe expulit, præſidio interim
totidem ciuib. cõſtituto, quod ipſum qui-
dem nouis in Belgio calamitatib. & miſe-
riis anſam præbuit, eiectis nimirum iſtis
militibus ad ſeditioſorum modum paſſim
graſſantib. Cæterum propoſito ſuo ad Syl-
uam ducis fruſtrati, relicta rurſus Boxtella,
Hoſtratam reuerſi ſunt, locum iſtum mo-
dis omnibus firmaturi & munituri, præſer-
tim cum de imminẽti ſibi periculo, admo-
niti eſſent, & colligi paſſim per vniuerſam
Brabantiam exercitum viderent, eo fine,
ut expugnata Hoſtrata ipſi opprimeren-
tur & exterminarentur funditus. Cum igi-
tur nuncio edocti eſſent certiſſimo, His-
panorũ peditũ 12000. equitũ v. 5000. ad
Lirã cõgregatos ſubſiſtere, & reſpõſum Ar-

Anno 1603. chiducis expectare, quo accepto expugnatum Hostratam pergerent, relictis in præsidio 800. qui vxorũ liberorumq; & communis sui thesauri, qui 300000. coronatos excedere dicebatur, curam agerent, reliqui ad patrocinium confœderatorum ordinũ confugientes cum comite Mauricio ita transegerunt, ut coniunctis imposterum viribus, aduersus Hispanos tãquam communes hostes pugnarent; cum igitur sacramentum Mauricio dixissent, & vxores liberosque cum thesauro suo & omnibus quæ haberent, tanquam obsides, tuendæ fidei causa ei obtulissent, Bredam de mandato Mauricii concesserunt, Cæterum die Iulii 25. qui Diuo Iacobo sacra est, Hispanicum ingenti exercitu Hostratam venientes, oppugnationẽ statim moliri & munitiones agere firmissimas cœperunt, At qui Mauricius accepto hac de re nuncio, succurrendum periclitantibus ratus, exercitum congregat, & cum seditiosis in fidẽ receptis se coniungẽs Hostratam subleuatum contendit, Itaque hoc viso qui in castris erant Hispani, quasi panico terrore exanimati, non expectandum esse eius aduentum statuerunt, sed mox receptui canentes noctu discesserunt, tribus tormentis & aliquot curribus post se in castris relictis.

Seditiosi ad confœderatos Ordines transeunt.

Hostrata ab obsidione Hispanorũ liberatur.

lictis. Ne tamen nihil ibi plane profeciſſe viderentur, conjecto ante diſceſſum ſuum in pagum Hoſtratã igne, incendiũ aliquod excitarũt, At illud à præſidiariis facile ſuppreſſum & extinctum eſt, ipſi vero pœnas huius facti Mauricio non contemnendas dederunt, qui fugientes perſecutus, 300. fere in itinere trucidauit. Anno 1603.

Proditio in Regem Angliæ ab Antho nio Co pleio intentata.

Cillicon quidam olim fuit natione Milleſius, qui proditionem Mileti moliens, cum rogaretur quidnam facturus eſſet? Omnia bona reſpondit, Et mox prodita Prienenſibus patria ſua, ampliter ſed fœde tamen ditatus eſt. Idem credo reſpondiſſet qui vitæ Regis in Anglia nuper inſidiatus eſt, Anthonius Copleius, ſi forte ab aliquo quid rerum ageret interrogatus fuiſſet? Sic enim non ipſe tantum ſed & alii præſtantiſſimi potentiſſimiq; viri omnia ſeſe bona in Anglia facturos putarunt, ſi Rege Reginaque & liberis Regis cum vniuerſa ſtirpe deletis & extinctis, Catholicam Religionem introducere & reparare ſibi licuiſſet, Supra enim & Catholicorum & Proteſtantium in Anglia libellos ſupplices recenſuimus, quos illi pro obtinendo, hi pro denegando Catholicæ religionis exercitio, Regi obtulerant, Cum igitur Proteſtantium petitionem plus quam Catholicorum a-

Anno 1603. apud se ponderis habere Rex passus fuisset, inaudita statim & incredibilis proditio detecta est, cõspirantib. in totius Regiæ stirpis perniciem & necem multis procerib. aliisque nobilissimis & clarissimis viris, qui Anthonio cuidam Copleio executionem cõsilii sui demandarunt. Hic sclopo in regem directo, alterum eius humerũ percussit, sed ò dignam vel Cillicontis, de quo diximus, exitio, manum; Eius. n. olim perfidiam Theagenes quidam lanius sic vltus fuit: Adiit Theagenem Cillicon in macello carnes empturus, Lanius dissimulato, quo eum propter proditionem, prosequebatur odio, carnium partem ipsi porrexit, veluti resecturus quod supereresset, cum igitur dextram Cillicon protulisset, ex aduerso carnes retenturus, Theagenes machæra sublata proditoris manum amputauit, ac ne id videretur errore fecisse, addidit statim; Ista saltem manu non proditurus es posthac vllam ciuitatem: Applausum est tum temporis lanio, quod impium prodignitate tractasset, applausum ꝓcul dubio & ei fuisset, qui impiam Coplei manũ vlturus, pari dexteritate felicitateq; resecasset, Sed manet eam ꝓcul dubio sua quoq; pœna. Cum. n. peracto isto facinore ex populi sese conspectu subduxisset, & licet diligen-

ligentissime inquirerctur, inueniri tamen & cui non posset, Rex edictum statim de eo cõprehendendo publicauit, quo quam notabile ingenti dolore & mœrore cognouerit reperiri quosdã in suo regno, qui subditis omnib. sincerũ & constantẽ erga suã personã hactenus amorẽ satis declarant b. cõtrarii & aduersantes essent, testatur, Nõ posse se igitur, beneuolẽtia bonorũ subditorũ fretũ, ꝙ præter spẽ euenerit, in præiuditium suiipsius, silentio occultatum dissimulare, Accidisse. n. nuper ut Anthonius quidam natu Coplerorũ minimus, ex peregrinis locis domum reuersus, cum Cõplicibus quibusdã aliis in necẽ suam cõspirauerit, vnde periculum & vitæ suæ, & totius Reipub. immutandæ metuendum nõ leue fuerit, quem quidẽ post detectũ singulari audacia facinus, circa Londinensem ciuitatem diligentissime licet per ministros suos requisitum, inuenire hactenus non potuerit, ut latere apud aliquem ꝓditionis conscium & occasionem facinori magis conuenientẽ expectare videatur. Necessariũ se igitur statuere, vt ões hac de re publicis literis edoceãtur, sperare. n. se, ões cuiuscũque dignitatis aut religionis sint, ab hoc tam nefario crimine pro amore erga suam personam singulari, animo futuros

Anno 1603. *Edictum Regis Angliæ de prodit. Coplero comprehẽdendo.*

alie-

Anno 1603. alieniſſimo, quem quidem amorem declarari etiam velit manifeſtatione & comprehenſione prædicti Antonii, vbicunq; etiã latitãs inueniatur. Mãdat igitur præfectis & ſubpræfectis, aliisq; cum imperio hinc inde conſtitutis, & miniſtris omnib. vt diligentiã in inquirẽdo hoc Copleio operam nauent, & cõprehenſum corã tribunali vel conſiliariorum ſuorum vel alterius Magiſtratus de hoc facinore ſuo, iuxta leges & cõſtitutiones regni, examinandum ſiſtant, hac addita interminatione, ſi aliquis p̃nominatũ Antonium vel occultare vel hoſpitio exceptum fouere deprehenſus fuerit, poſtquã vel ex hoc mandato publico, vel alia ratione de facinore eius edoctus ſit, ſe iracundiæ & indignitatis ſuæ iuſtiſſimæ exemplũ ſeueriſſimum in eum editurum.

Conſpiratio aduerſus Regẽ per Copleũ detecta

Hoc igitur edicto publicato, erutus paulo poſt & comprehenſus Antonius, cum in ſenatum veniſſet, non de ſua ſolum perſona confeſſus eſt, ſed præcipuorum aliquot procerum, à quibus ad facinus hoc perpetrandum, conductus fuiſſet, mẽtionem fecit, qui ões in necem Regis coniuraſſent, eorum nomina fuerunt, Comes Cobhamius Gubernator quinq; portuum Maris, cum fratre ſuo Greio, Gualterus item Raleius, Arthus Gortſius, Arthus

thus Sauotsius & Griffinus Markhan, qui Anno omnes in summa apud Reginam Elisabetham authoritate quondam floruerant & in promouendo Essexii comitis supplicio non parum ante hæc tempora, inprimis tamen Cobhamius cum Grcio & Raleio præstiterant. Hi sex proceres compræhensi statim, & seorsim quilibet examinati sunt, cui cum non ignorarent illud Poetæ: *Vtile sed multis dissimulasse fuit*, factum primo constanter negarunt, inprimis autem Raleius homo vafer & astutus prudentiaque politica admodum clarus, ingeniosa sua dexteritate & confictis dolis, spem dimissionis iam obtinuerat, sed verum hic est quod Plautus alicubi dicit: 1603.

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet,
Etiam cum cauisse ratus est, sæpe is cautor captus est.

Nam & vicimus, inquit, & quasi iam extra teli iactū positus literas ad Cobhamiū scribit, quibus, quam sese virum in quęstione præstitisset prædicans, eum hortatur ut cum *grauis sit culpa tacenda loqui*, silētium præstaret, & de conspiratione verbū nullum fateretur, memor illius apud Terentium consilii, *Tu pol si sapis quod scis nescias*. Sed cum ut Plautus dicit: *Insperata accidant*

Anno 1603. *cidant magis sæpe, quam quæ speres*, interceptis hisce literis iam periculum quod euasisse putabat incidit, Quæstioni enim & examini denuo sistitur, At ille de literas nihil cogitans metuensq; , constanter ut antea factum negat. Verum adest mox Robertus Cecilus, qui literas eius proferens, nosceretne manum, & quid ea sibi vellet, interrogat, tum vero quod Poeta dicit:

——— Ancipiti mentem formidine pressus
Obstupuit, steteruntq; Comæ, & vox faucibus hæsit.

Consternatus enim & animo velut attonitus ob nutuit illico, ex oculis ipsi lachrymis p̃ feruore animi erumpentib. *O Demea*, inquit Terent. *isthuc est sapere, non quod ante pedes modo est videre, sed etiam illa quæ futura sunt prospicere.* Quod cum non cõsideraſſet Raleius, custodiæ rursus vna cum sociis mancipatus est. Dicũtur a plures postmodum comprehensi esse nobiles pleriq; & autoritate graues, qui omnes cum Catholicis senserint. Nam & Cobhamius id sibi propositũ fuisse, confessus dicitur, ut Rege cum suis è medio sublato, infantẽ Hispaniarum iã in Belgio morantem, Reginã declararet, quæ instar prioris Reginæ in Anglia regnans Catholicam religionem instauraret, Itaq; Comes etiam Arenbergicus, qui lega-

legatione Archiducis in Anglia fungitur, hoc nomine interrogatus, & licet sese prosixe purgarit, excubiæ tamen militum hospitio eius sunt adhibitæ. Hæc igitur conspiratio est in Regem Angliæ facta, quæ quem habitura sit exitum, alio tempore Deo volente narrandi occasio erit. Anno 1603.

Plana forma quam vocabant, in castris Hispanorũ ad Ostendã, tormentis Hollandorum disiecta & destructa, Hispani aggerem statim alium moliti sunt & ingenti sumptu ad eam excitarũt altitudinẽ, ut inde omnia quæ in vrbe fiebant, cernerẽtur, vnde Felem cũ alii, alii ollarum inspectorem, quidã turrim Babylonicam vocarũt. In hunc aggerẽ Hollandi ex vallo in formã dimidiatæ Lunæ facto globos candentes circa finẽ Iulii miserũt, igne eum & tormẽtis aliis deformaturi. At Hispani admotis statim scalis ingenti conatu ad extinguendum incendiũ ferebantur, posthabito etiã omni quod sibi à tormentorum & scloporum explosionib. imminere videbant periculo. Non poterat quidem incendium facile sedari globis istis propter affixas sibi cuspides ferreas firmiter ligno adhærentib. sed hamarum tamẽ & aliorũ restinguendis incẽdiis accommodatorum instrumentorum beneficio, illud tandẽ post damnũ nõ exiguum

Ostẽdani globis cãdentibus propugnaculum Hispanorum perdunt.

Anno 1603. guum suppressum & extinctum est, & reparatio ingenti labore atq; sumptu facta. At vero Hollandi à destructione aggeris non desistendum rati, globos candentes alios in eum coniiciendos pararunt, sed qui cuspides haberēt, hamis seu reflexis vtrinque mucronibus infestas, ut tenacius ligno inhærentes nullis instrumentis cederent, sed dispersis insuper ex occultis tubis glandibus plumbeis, appropinquantibus formidabiles & lethales essent.

Interea naues ingressæ libere & egressæ sunt de cōmeatu necessario ciuitati satis superq; prospicientes, & quamuis Galli seu Valones quidem perfidi, ad Castra Hispanorum concedere non dubitarent, quidam tamē ex itinere retracti, supplicio debito affecti sunt. Ingens autem in urbe pestis & lues non minus periculosa quam mirabilis subito exorta est, ita ut ea correpti, vel subito inter eūdum exanimati cōciderent, vel in furorem acti, in aquas sese ipsos, quasi vertigine correpti, præcipites darent, causam huius mali ab æstu caniculari pendere multi arbitrabantur, quibus finitis, spes esset malum etiam ipsum finem suum habiturum. Sed quicquid sit, multi certe propterea ex Ostenda discesserunt, & dissipatio militum non exigua facta

Pestis & lues mirabilis in Ostenda.

facta est, omnibus, quibus saluis quidem inde euadere concessum, quasi renati iam reuiuiscerent, lætantibus. At nihil tamen à studio euertendi Hispanorum propugnacula remiserunt, sed in parandis prædictis globis strenue perrexerunt, donec, iis confectis circa 20. Augusti, propugnaculum & aggerem petere rursus cœperunt; irritus primo conatus videbatur ob tempestatem ventorum aduersam & contrariam, sed ea statim mutata, tanto propugnaculum istud igne exarsit, ut cum densissimo fumo flammę in aere vel ad 10. miliaria conspicerentur. Hispani quidem non segnes aquam multis plaustris aduchere, & non aquam solum sed & acetum, magna copia flammis affundere, omniaque cum extremo etiam à tormentorum Ostendanorum disploſione periculo, tentare videbantur, quæ ad restinguendum incēdium facerent, verum quasi ignem diuerberantes, & lapidem exlixantes, nihil promouere poterant, oleum & operam cum damno non minimo perdentes, tantum quippe damni ex conflagratione huius operis, de quo non parum confidentes gloriabātur, contraxerunt, ut illud vix innumera pecuniæ summa expediri & recompensari possit. Anno 1603.

propugnaculi in castris ad Ostendā destructio

Anno 1603. Seleucus, qui defuncto Alexandro Magno primus in Syria regnum cõstituit, subinde dicere solitus est, Si multi scirent, quãtum sit negotii, saltem tot epistolas scribere ac legere, quot Regibus scribendæ & legendæ sunt, ne humi quidem proiectum Diadema tollerent. Ad laborem is saltem, eumq; fortasse minimum respexit. Quid autem ad pericula & curas, quibus Reges singulis momentis expositi sunt, si respexisset, dicturum eum fuisse putabimus? Est enim ut Antigonus quondam Macedonum Rex admodum cordate dixisse fertur, regnum nihil aliud, quam splendida seruitus tantis periculis expositа, ut non immerito Seneca exclamet:

Coronationis Regis in Anglia descriptio.

Qui sqnamne regno gaudet? O fallax bonum,
Quantum malorũ, quam fronte blanda tegis?
Vt alta ventos semper excipiunt iuga,
Rupemq; saxis vasta dirimentem freta,
Quamuis quieti verberant fluctus mari:
Imperia sic excelsa fortunæ subiacent.

Expertus hoc nõ minima ex parte Rex Angliæ nuper fuit, in quem tot potentissimi nobilissimiq; viri conspirarunt, ut mirum sit, eum periculis istis ereptum in Scotiam nõ redire rursus, & diris Angliam deuouere pessimis. Sed longe ipsi mens generosior, & animus inuictus plane, nouit enim illud Senecæ: *Tantis*

Tantis in malis vinci malum est. Anno

De Dionysio Syracusano legimus, q̃ cum 1603.
sub initium statim regni, regia ipsius obsideretur coniuratis in eum ciuibus, & amicianutores ipsi essent, ut imperium deponeret, ni mallet captus interfici, conspiciens forte bouem à coquo mactatum, illico concidere, dixerit; Cum mors adeo breuis sit, an non absurdum videatur, nos metu mortis tale regnum relinquere? *Non est vt putas virtus*, inquit idem Seneca,

Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retro dare.

Detecta igitur conspiratione ad possidendum plenarie regnum & diadema regium capessendum, magis quam antea properare visus est. Mox enim cum regina & proceribus quos secum habebat omnibus celocem conscendens, ad Westmonasterium semihorulæ itinere à Londino distans applicauit die 25. Iulii coronam & insignia Regni ibi accepturus. Qui dies S. Iacobo sacer, cum illuxisset, templum tali quidem pompa & processu, per plateas, preciosissimo cærulei coloris panno & viridi gramine intermixtis suauissimis floribus vndique stratas & obductas ingressus est. Principio post Prȩcones aliquot regios silentiũ & quietem imperantes satellites ꝓcedebãt

Anno 1603. hastati equestris dignitatis appetentes, bini & bini, numero 40. amicti tunica oblonga omnes coccinea taffeto duplicato suffulta eleganter & auro prætexta; Hos sequebātur Equites aurati 60. à Rege pridie eius diei creati serico albo vestiti, & toga coccinea manicata, taffeto alba duplicato suffultā amicti, pileos habentes albos, albis cristis conspicuos, & calceos similiter albos, gestabant vero in manibus hastulas prioribus aliquāto minores. Sequebantur Musici & Cantores, quorum in tēplo dum pulsarentur organa vsus esset, postea Doctores & pastores incedebant pallio nigro amicti numero 30. Hos sequebantur Legati diuersorum principum, numero 50. vel circiter, vestiti serico albo, & toga amethystina, taffeto duplicato albo suffulta, amicti porro equites aurati antiqua stirpe prognati, & proceres Regni tali se inuicem ordine sequebantur, principio 14. eorum, coronas in manibus gestabant, quæ singulæ ex auro constantes, 14. erant apicibus, totidem margaritis, pisorum magnitudine conspicuis exornatę, amicti vero erant toga coccinea, pellibus ex albo & nigro variegatis suffulta, post eos duo Magnates incedebant, baculos tenentes inauratos, longos sesquipede, induti vero

toga

toga ex holoserico rubro facta, & pellibus variegatis suffulta, in capite tiaras gestabant ex holoserico rubro, pellibus itidem variegatis suffultas, & imposita prioribus simili corona conspicuas. Hos sequebantur 60. ferè Equites proceresq; alii serico albo vestiti, & toga manicata, ex serico vndulato rubro facta, taffetoque duplicato suffulta amicti; procedebant porro Magnates 12. singuli singula sceptra gestantes, quæ tota inaurata, elegãti ab inferiori parte bulla, corona vero in apice Cæsarea erant exornata. Induti erant toga seu tunica talari manicata ex holoserico rubro facta, & pellibus variegatis suffulta, in capite tiaras gestabant ex holoserico rubro, pellibus itidem variegatis suffultas, & imposita corona conspicuas. Sequebatur Milortus Maior, Dux nimirũ vel Gubernator Londinensis, cum 12. nobilibus suis toga coccinea indutis. Post nouum quasi agmen inchoabant 6. feciales regii, cum insignibus Regis, paludamentis acu eleganter pictis & multo auro prætextis induti, hos sequebantur tubicines Regii 16. post eos ibant Episcopi 5. tunica talari coccinea induti, & caput mitra quadrãgulari nigra tecti, quorũ alius librum, alius calicem, patinam itidẽ Sacramenti & oleũ vnguendo Regi de- Anno 1603.

Anno 1603. ſtinatum geſtabant. Magnates porro 20. toga coccinea ut ſuperiores amicti, ſequebantur, & poſtea Comites Baronesque quinque portuum, numero 12. toga ex holoſerico rubro facta pellibuſque variegatis ſuffulta, amicti. Porro incedebant tres Barones, gladios euaginatos gerentes, & Comes Suthamptonius ſolus, toga ex holoſerico rubro facta pellibus ſuffulta, indutus, mitram in capite habens ex holoſerico rubro, pellibus ſimiliter ſuffultam, & corona aurea conſpicuam. Hic gladium geſtabat regium in vagina ex holoſerico facta, auroque & catena aurea circumvoluta hærentem. Poſt eum alius quidam itidem ſolus incedebat, globum terræ inauratum Diademati imponendum geſtans. Hunc ſequebantur duo Magnates ſimiliter ut præcedentes togati, qui Diademata duo Regia multis gemmis nitentia, pulvinari ex holoſerico rubro conſtanti, impoſita Regi præferebant. Ea enim inſequebatur ſtatim Rex ipſemet, ſub cadurco vel tegmine & tentorio ſericeo undulato rubro, quod ſex fulcris impoſitum, totidem geſtabatur Magnatum ſenioribus, eodem quo ſuperiores habitu indutis. Rex ipſemet ſimili cum Magnatibus toga ex holoſerico rubro facta, pellibusque

que variegatis ſuffulta, amictus, & ſimili etiam caput mitra ex holoſerico rubro facta & pellibus ſuffulta ornatus erat, at monile ab humero altero infra brachium traductum habebat multis ſplendidiſſimis gemmis & vnionibus precioſiſſimum. Latus eius utrumque Archiepiſcopi claudebant, habitu Epiſcopali induti. Sequebantur vero eum Comites quidam & nobiles ex Scotia, cum 40. Satellitibus, tunicas talares, multo auro prætextas induti. Tandem Regina incedebat ſub Cadurco vel tegmine eiuſdem coloris & materiæ cum priore, quod geſtabant 4. Magnates, ſimiliter ut ſuperiores togati. Ipſa vero inſtar virginis incedebat capillo laxo & poſt tergum demiſſo, ſpiraque duorum digitorum latitudine, ex precioſiſſimis gemmis & auro facta, capiti impoſita, corpore vero reliquo pallam induta erat, ex holoſerico rubro factam pellibusque variegatis ſuffultam & longo ſyrmate decoram, cui ſubleuando quatuordecim erant deſtinatæ Comitiſſæ, rubro ſimiliter holoſerico veſtitæ & capillos redimiculo flāmeo collectæ. Sequebatur poſtmodo gynæceū 60. ferme nobiliſſimis virginib. conſtans, iucundiſſimo ob veſtitū ex ſerico albo elegā- Anno 1603.

Anno 1603. tissimum, aspectu. Agmen tandem 100. adhuc satellites claudebant habitum prioribus similem induti. Cæterum in templo theatrum quoddam erat eximia altitudine à terra elevatū forma octogonea, ad quod non nisi 6. vel 7 gradibus ascensus patebat, itemq; theatrum aliud aliquanto depressius, ad quod per 3. gradus ascendi poterat, utrumq; panno rubro obductum erat & solio circa medium regio, panno attalico & holoserico rubro, acu quam elegantissimè picto, constrato, ad latera vero multis subselliis holoserico rubro obductis, conspicuum. Infra theatrum, in choro, Altare erat holoserico rubro acu eleganter picto, constratū, cui coronæ, sceptra, globus, liber, calix, patina, & capsula olei, ad columbæ formam facta, cum cochleari aureo imponebantur. Iuxta altare illud, vestitus regius, qui in hunc usum ab aliquot centum annis in regno asseruatur, erat dispositus, in altero vero latere sella audiendæ concioni conueniens collocata. Ante altare positum erat solium aureum coronationi destinatum miræ vetustatis, holoserico similiter rubro & panno attalico constratum, & iuxta illud sella peragendis precibus accommodata. Rex igitur processu, quo diximus, cum in templum veniisset,

nisset, inter duos Archiepiscopos theatrũ illud, vel tabulatum superius ascendit, cũque in solium regium consedisset, comitesq; & Barones cum nobilibus aliis per subsellia ordine dispositi essent, Regina in theatrum inferius deducta solium ibi extructum occupauit, gynæceo per subsellia ordine collocato & disposito. Tum vero Archiepiscopo Cantuariense Regem interrogãte, An populo isti imperare, & Regni istius Rex coronari vellet, Regeque clara voce id affirmante, per præconẽ iussu Archiepiscopi populus interrogatus est, An præsentem hunc Regem Iacobum hæreditarium Angliæ legitimumq; Regem, & suum Dominum agnoscerent? Idẽ per Episcopum Londinensem de Regina interrogatum. Cumq; populus omnis cum ingenti lætitia & exultatione id affirmasset, Regni priuilegia ex libro per Cantuariensem, Regi sunt prælecta, deductusq; est ad Altare, vbi scabello flexis genibus innixus simul cum Regina preces ad Deum fuderunt, post in sellam concioni audiendæ destinatam cum consedissent, finita concione q̃ per Episcopum quendã habebatur, vterque Rex nimirum & Regina in theatrum rursus deducti & in solium quisq; collocati sunt; Cæterum cum secũ- Anno 1603.

Anno do Rex & Dominus Angliæ proclamatus
1603. esset, ad altare iterum deductus est, ubi cum depositio priori habitu, regio eum ornatu Episcopus induisset, fragrantissimo statim oleo ex capsula aurea, in cochleare infuso per Archiepiscopum Cantuariensem inunctus est. Similiter v.& Regina oleo inuncta & ornatu Regio, sed non corá altari condecorata fuit Hoc facto sistitur in solium aureũ coronationi destinatum, allatumq; per quatuor Comites diadema regium capiti eius per Archiepiscopũ Cantuariensem imponitur, sceptroq; regio cõ-
decoratur. Cumq; similiter & Regina coronata esset, ad preces iterum fundendas sese ambo composuerunt. Quibus finitis gladium deosculatus Rex altari imposuit. Ateum euaginatum statim Comes quidã mucrone in terram percussit, cumq; post præstitum in priuilegia Regni iuramentũ duos ei digitos pro confirmatione iuramẽti Rex imposuisset, in vaginam rursus reconditum lateri Regis accinxit. Sic igitur diademate regio condecoratum & præcinctum gladio Regem in theatrum rursus produxerunt, cumque ibi in Solio suo consedissent, post proclamationem generalis omnium delictorum (excepto proditionis in Regem & Regnum intẽtatæ crimine) re-

ne) remissionis, & honorificam populi salutem ei cum ingenti strepitu acclamantis congratulationē, Archiepiscopus primo Cantuariensis & omnes postmodum in Ecclesiastica politicaq; dignitate præeminentes, flexo poplite altero, diadema eius, manu attigerunt, omniaq; felicia precati, dextræ eius manui osculum impresserunt. Idem cum Reginæ etiam exhibitus honor esset, Rex iterum ad locum precibus destinatum deductus est, indè peractis precibus ad Altare veniens, sacram synaxin à Decano Westmonasterienſi accepit, & post altare in locum aulæis attalicis purpura & auro intertextis obseptum concessit, donec ceremoniæ in Regina etiam peragerentur. Quibus postmodum finitis, procedens rursus Rex iuxta Reginam in solio supremo cum consedisset, exhibitum sibi poculum aureum vino repletum Milorto Maiori propinauit commendata ei ciuitatis Londinensis gubernatione, quam cum posthabito omni vitæ necisque periculo ad extremam usque sanguinis guttam, se defensurum Milortus Maior promisisset, prædictum ex manu Regis poculum, vna cum optimo Regis post vnum thorace æneo, & optimo similiter eius

Anno 1603.

Anno 1603. cius post vnum gladio, donum accepit. Sed & allatum poculum aureum aliud Athletæ suo propinauit, eo fine ut ferro pro Rege & armis decernere paratus semper esset, qui cum data fide, gratias Regi pro honore hoc egisset maximas, poculū vino plenum, cum thorace Regis æneo post duos optimo, & gladio item eius post duos optimo, donum ex manu Regis accepit. Itaque in medium statim progressus, Chirothecā manu detractam in terram proiecit, addita protestatione, si quis cōtra Regē se quid habere profiteatur, pdiret & in arenā secum descenderet. Interea in ordinem sese rursus omnes dispossuerunt, egressum ex templo parantes, eodem enim processu & ordine quo aduenerant, nisi quod diademate caput ornati Rex & Regina conspiciebantur, & 14. coronas quas proceres antea in manibus gessisse diximus, comitissæ, iam totidem Reginam insequentes, capitibus suis imposuerant, Ex templo egressi, nauigia statim conscenderunt, ad pontem primo Londinensem, quem Reginæ Rex monstrare voluerat, delati, post vero arcem Witehalensem inter ingentia tormentorum tonitrua petentes.

Syluaducis vna ex præcipuis Brabantiæ ciuitatibus, nec vetustate nec laudibus belli,

belli, vlli ciuitati cedit, nam & Iulio Cæsare primo Romanorum imperatori belli-cosissimo nõ parum negotii exhibuisse legitur, & hostium in Brabantiam impetum non semel laudabiliter sustinuit, viriliterque repressit, De commoditatibus eius, quibus præ aliis ciuitatibus gaudet, multa hic prædicare necesse non est, cum enim multos sub iurisdictione sua pagos habeat, decesse ipsi quod ad victum & necessitatem aliã pertinet nihil potest, Ob riuorum autem & fluminum per ciuitatem decurrentium amœnitatem, linteariis & fullonibus admodum grata est, quibus ea frequentibus habitatur, sed & robore tanto est, ut aliquibus in locis insuperabilis videatur. Stetit vero semper à partibus confœderatorum Ordinum, donec facta à duce Parmense Traiecti expugnatione, per caduceatorem, ad defectionẽ sollicitata, sua sponte & voluntate libera, relictis Ordinibus ad Hispanos transiit. Facta est hæc defectio Anno 1579. vbi præstantissimi quiq; ex vrbe sunt eiecti nullo quidem militum sed ciuium saltem potissimum Catholicorum præsidio, & Ecclesiasticorum potentia, quæ in tantum hactenus creuit, ut vel hac sola ab omnibus externis iniuriis tuta perstiterit. Anno 1601. cum Bercã ad Rhe-

Anno 1603. *Syluaducis à comite Mauricio obsidione cingitur.*

num

Anno 1603. num Mauritius occupasset, exercitum satis copiosum ad hanc vrbem duxit, Verum cum ea ad defensionem necessariam se mature componeret; & Magistratu ad muniendam vallis propugnaculisque vrbem, cuiusvis sexus & ætatis homines inuitante, nouæ in mœnibus munitiones incredibili celeritate excitarentur; Ex Grauia item quæ Mauritium nondum dominum agnoscebat, commeatu subinde recenti subleuaretur; diligentiq; cura ne ex ignitis globis qui in ædificiorum tecta frequentes mittebantur, damni quid contraheretur, ciues prospicerent; Quin & ex Castris Ostendanis copiæ satis magnæ auxilio ciuitati mitterentur; & quod omnium maximum erat, ob vicinitatem hyemis, (mense enim Nouembri expugnatio tum tentabatur) continere se in castris milites non possent, nauigatioque fluminibus glacie concretis intercluderetur, cum integro exercitu recedere, quam ancipitem belli aleam experiri Mauritius maluit, solutaque obsidione in Hollandiam tum reuersus est, commodiori & tempore & occasione eam repetiturus & perfecturus. Iam igitur Hispanis q̃ expugnatã Hostratã venerant, reinfecta recedentib. cum exercitum satis copiosum Mauritius

Sylua ducis à Mauricio Anno 1601. frustra obsessa.

eo fine

eo fine coegisset, ut Rebelles contra Hi- Anno
spanos iuuaret, ne sine fructu eum rursus 1603.
dimitteret, ad Syluam ducis die 18. Augusti mouit signa militaria peditum quidem 130. at equitum 36. secum ducens. Principio autem ad Portam Fuchtensem castra locans, incredibili celeritate & studio ab hac ad S. Anthonii vsq; portam munitiones firmissimas egit, vniuersam vndiq; ciuitatem, quasi corona cincturus, nisi ab Hispanis mature prohibitus fuisset. Rebelles quidem accepti à Mauricio beneficii & sacramenti nuper dati memores, operam suam Mauricio statim obtulerunt numero 5000. vel amplius, in pago Vlimensi, vnico à Syluaducis miliari distante, qua cōmeatus in castra Mauritii transferri necesse est, confidentes, ab insidiis Hispanorum iter illud vindicaturi, & contra ciuitatem Mauritio vel ad nutum minimum præsto futuri, qui quidem iam cum signa militaria & vexilla viridis coloris habeant, milites virides, ad differentiam reliquorum sub Mauricio stipendia facientium dicuntur. At tertio statim die cum castra sua Mauritius vix firmasset, ingens statim ab Archiduce missus exercitus aduenit in Eichendunco & ad Aquam veterem prope ciuitatem se demittens & castra locans, tam-

Anno 1603. tamq; exiguo à castris Mauritii interuallo, vt vel sclopo se inuicem attingerent, sese communiẽs. Mauritius igitur viso Hispanorum conatu, cum locum teneret satis eleuatum, quem Petlerum ipsi vocant, tormenta ibi aliquot ita disposuit, ut non parum damni in castris ipsorum dare posset, Cum autem aliquanto propius ad portam Fuchtensem exercitum mouisset, & iam à vallo quod forma dimidiatæ Lunæ in præterita obsidione ibi Syluæ ducentes duxerant, vix sclopi displosione abesset, ciues magno impetu porta Fuchtensi erumpentes, ad manus venerunt, nullo tamen cum profectu, pedem statim retrahentes. Nõ cessabat interea Mauritius, sed crebra tormentorum à Petlero displosione tantã castris Hispanorum calamitatem & cladem afferebat, ut eius impatientes, de alio loco sibi eligendo cogitarent. Itaq; 29. Augusti noctu mouentes, itinere ante portam Ortensem instituto, & Tissa fluuio superato, ad Portã S. Ioañis partim partim, ad Fuchtensem castra locarunt, Mauritium ibi ne castra sua promoueret impedituri. At ipse deserta statim castra occupat, iisque probe firmatis, tormenta aliquot ad portam S. Anthonii traducit, transitum in ciuitatem ibi intercluſurus, Itaq; hoc viso ciues portam

tam aggesta terra obstruxerunt. Cum autē Mauritius animaduerteret, locum quem castris suis Hispani iam elegerant, proposito ipsorum satis conuenientem esse, constituit inita pugna vires eorum nonnihil tentare; Gallis igitur & Scotis id negotii dedit, ut castra ipsorum aggressi, pugnādi initium facerent, qui 2. Septembris die, cum Hispani trium dierum spacio non parum sese communiuissent, miris ambagibus vsi, castris ipsorum, tandem appropinquarunt, tum vero ingens exoritur in castris Maūricii, eo sic iubente cum strepitu militum clamor, ut metu tantum non exanimati Hispani, cogitare aliter non possent quam cum vniuerso exercitu Mauricium ad sua castra appropinquaturum, at de repente interim Galli & Scoti propugnacula ipsorum, quæ non procul à Porta S. Iohannis moliti fuerant, adorientes, non sine clade & detrimento maximo reprimuntur, Hispanis nationem suam summa virtute tuentibus. At reiecti Galli pedem tamen retrahere volebant existimantes arborem ab vnico ictu non subuerti, secundo igitur propugnacula ista adoriuntur, fractisq; Hispanorum viribus tandem perrumpunt, maximam eorum partem contrucidantes; Cum enim porta aperta in vr-

Anno 1603.

Anno bem Hiſpanos recipere ciues conſultum
1603. non putarent, qui gladios euitarunt, aquis ſubmerſi perierunt, ducenti tamen viui compræhenſi & ad Mauritium transmiſſi ſunt, quos fama eſt in crucem actum iri, quod Hiſpani pari ſæuitia in quoſdam ægrotos naui ex Oſtenda dimiſſos, vſi nuper fuerint. Sic igitur expugnatis propugnaculis iſtis, adfuerunt ſtatim magno numero, qui munitiones ibi aduerſus ciuitatem obiicerent, Mauritio ſua præſentia opus mirificè promouente, & omnia ita adminiſtrante, ut pedē inde, niſi facta prius expugnatione mouere non velle videatur, ſpe certa fretus, Hiſpanos breui ob commeatus & alimentorum defectum, ſolutis caſtris abituros, præſertim cum commeatum quidem ad aliquot dies ipſis ſuppeditare promiſerint, at in urbem eos recipere Syluæducenſes vehementer etiamnū recuſent. Quid igitur impoſterum de hac obſidione futurum ſit, ſi gratia Dei & fauor tuus, conatibus hiſce noſtris aſpirauerint, tibi propediem communicabitur.

Moſis Zeccleri interitus.

Eram iam finem impoſiturus cum deſideratus rerum Tranſyluanicarum nuncius aduolās, de Moſis Zeccleri interitu certiorem me reddit, Is ut Mapheus in ſupplemento Virgilii ſcribit:

Hactē-

Hactenus ignem Anno
Spumabat ferus ore vomens, bellumq; ciebat, 1603.

vt ex illis, quæ supra commemorauimus, tibi constare arbitror, At quam verum est, quòd Seneca in Hercule furente exclamat:

Dominare tumidus spiritus altos gere,
Sequitur superbos victor à tergo Deus.

Diximus supra quam infeliciter Zecclerianí cum Valachis pugnarint, ignoratum vero tum est, Mosen ipsum suis copiis præsentem ibi adfuisse, creditumq; ab omnib. eum Temesuariam, reparatum nouum exercitum concessisse, sed aliud reuelans omnia tempus aperuit, cum enim à Valachis postea interfectorum corpora perscrutarentur, ipsius etiam, præter omnem expectationem Mosis erutum cadauer est, de quo Vaida ad Georgium Bastam, cui sub initium Augusti 25. signa militaria, Cæsari offerenda trãsmisit, hunc in modum retulit: Inuentum nuper præter spem inter eos qui proximo conflictu occubuerunt, Mosis Zeccleri corpus est, quem quidem pugnæ præsentem interesse nemo præsenserat, itaq; qua ratione occubuerit ignotum quidẽ est, at caput eius Coronostadii ut aliis exemplo & terrori esset, hastæ affigi & publicè spectandum exponi curauimus. Sic igitur per Phratores ductus canis est &

Anno 1603. in eos Moyses tandem iste, præter expectationē, incidit, quibus pœnas daret, omnibus illud Martialis occinens:

Deponas animos truces monemus.

Albertus Nagius rebellis in Transyluania motibus studet.

Successit huic in malitia Albertus Nagius quidam, qui ex rebellantibus Transyluanis, Tartaris item, Turcis, Cosaccis Moldauis & aliis populis, sex millium copias colligens, circa Castrum ferreum, Lippam versus subsistit, At hoc cognito Georgius Basta, ut principiis obstaret, aliquot mille Heiduccos, ei statim immisit, à quibus ex improuiso oppressus, vix cum paucis mortem euasit, maxima parte pœnas contumaciæ & seditionis iustissimas persoluente. Dum hæc ibi geruntur, Marcus Salmensis Comes, qui stationem suam Coronostadii habuerat, cum 400. militibus Visebvrgum profectus, summa ciuitatē eam celeritate occupat, sed admissi statim à ciuibus Transyluani rebelles profugi, eam recuperant, milites Comitis cædūt, comitem vero ipsum vna cum 60. personis primariis comprehensum, in vincula coniiciunt, de quo quid imposterum futurum sit, alibi Deo volente narrandi dabitur occasio.

Non possum autem quin pro conclusione huius libelli, Angliæ Regis, cuius tā crebra

crebra hactenus mentio facta est. imaginem in æs inciſam tibi exhibeam, cumque pugnæ naualis inter Spinolam & confœderatos Ordines commiſſæ, & obſidionis Syluæducenſis delineationes in æs inciſas ab amicis acceperim, operę preciũ me facturum putaui, ſi eadem opera tibi eas cõmunicarem, literas igitur illis adiectas ſic intellige. In delineatione naualis pugnæ, A litera, Spinolæ triremes octo poſt arenas & ſicca iuxta littus Flandriæ nauigantes. B. ſiccam & arenoſam terram, quam forum equarium vocant. C. ſcaphas excipiendis trucidatis militibus inſeruientes. D. Nauim præſidiariam Logieri Petri, quæ periclitantes, inſurgente vento ſocios in triremibus iuuit. E. Vliſſingenſium triremem, quam apprehenſam triremes Hiſpanicæ ſecum ad portum Sluſenſem protrahere nitebantur. F. Triremem nigram, cuius præfectus Iacobus Michael Vippius, cum hoſtem deſpiciens, thoracem ferreum induere recuſaret, glande percuſſus occubuit. G. Iodocum de Moer præfectũ nauis, quam Krummeſteffen vocant, fortiter pugnantem. H. Nauem præſidiariam aliam, cuius præfectus cum parum præſtiterit, nomine caret, denotant.

Anno 1603.

Imaginũ ænearum explicatio.

In delineatione vero obſidionis Syluæ-

Anno 1603. ducensis, A litera portam Fuchtensem, B. Vallum quod forma dimidiatæ lunæ ante hæc tempora ciues ibi duxerunt, C. propugnaculaHispanorũ àMauritio armata manu expugnata. D. Portã S. Ioannis, E. portã aquaticam. F. Obicem ipsi arborem vocant. G. ponticulos, quorum beneficio Hispani Tissam traiecerunt. H. Portam Ortensem. I. Portam Hintemiam veterẽ, K. Portam Hintemiam nouam. L. Portam S. Anthonii, M. Heclam fluuium recipiendis scaphis conuenientem. N. Templum S. Ioannis. O. Templum S. Iacobi. P. Portam captiuam. Q. Forum. R. Curiam. S. Aream destructi Monasterii, cui Baseldunco nomen erat. T. Desolatum Monasterium cui Eichendunco nomen erat, ubi Hispani castra sua locarunt, denotant. At ut obsidionem Mauritii rectius percipias, sequẽtes numeros aspice, eorum enim, 1. castrum & tentorium Mauritii; 2. Castrum & tentorium Iunioris Comitis Henrici Friderici. 3. Castrum & tentorium Comitis Wilhelmi. 4. Armamentarii propugnaculum 5. Destructum Carthusianorum monasterium, 6. Stationem Scotorũ, 7. Stationem Anglorum. 8. Stationem Batauorum. 9. Stationem Gallorum. 10. Nouam viam per loca paludosa. 11. Petlerum,

12. Tor-

12. Tormentorum in castra Hispanorum dispositionem. 13. castra Hispanorum, à Mauritio occupata, 14. Fuchtensium & Ortensium tractum, 15. propugnacula Comitis Ernesti. 16. Viam qua Hœsdam, 17. Viam qua Grauecurtum. 18. Viam qua Grauiam. 19. Viam qua Helmontum itur, designant. Anno 1603.

Manet Gloria altissimo Deo.

MEMORABILIVM IN HOC LIbro commemoratorum Index.

A.

Abusus ludorum & alii varii in Anglia abrogati. 74

Achmatis Bassæ ad Collonitsium literæ. 112

Adonium à nostris occupatũ. 30

Adonium à nostris deseritur. 108

Albæ Regalis suburbium à nostris exustum. 107

Albertus Nagius nouis in Trãsyluania motibus studet. 180

Algeria ciuitas à Fessano oppugnatur. 80

Annonæ caritas in Pesta. 33

Angliæ Regis edictum de proditore Copleio comprehendendo. 155

Argumenta Protestantium contra permissionem religionis pontificiæ in Anglia 141.

Argumentorum quibus Catholici pro impetrando exercitio religionis suæ libero vsi sunt examen. 133

Aromata multa in Hollandia allata. 57

B.

Bataui & Angli classem instruunt. 24

Bironica ex coniuratione reliquiæ componuntur. 13

Boxtelia à seditiosis occupata. 150.

Budenses de commeatu sibi prospiciunt. 34

Budensium in thermis oppressio. 34

Budensium Murorum pars tormentario puluere disiecta. 35

Bursia Asiæ à Rebellibus expugnata. 43

C.

Calil Bassa capite mulctatur. 46.

Canisia arx incendio deleta. 52

Canisienses à Collonitsio casi. 51

Castrorum ad Budam solutio. 30.

Clau-

Claudiopolis à Zecclero occupata. 72
Collonitsius contra Tartaros proficiscitur. 50
Collonitsius Turcas ad Comorrham cædit. 53
Commeatus Budam transferendi à nostris intercipiuntur. 31
Confessio fidei & religionis Iacobi I. Angliæ Regis. 90
Confœderatorum Ordinum de Ostenda modis omnibus conseruanda consultatio. 61
Conspiratio aduersus Regem Angliæ per Copicium detecta. 156
Coronationis Regis in Anglia descriptio. 162

E.

Elisabethæ Angliæ Reginæ mors 10.

F.

Friderici Spinolæ pater, mercator diues. 96
Fridericus Spinola pugnando occumbit. 101

G.

Galliæ Rex Metim proficiscitur. 41
Gandauensium de Ostendana obsidione litera. 65
Geneuenses Res. 41
Georgius Fridericus Marchio Brandenburgicus moritur. 17.

H.

Hispani tria propugnacula ad Ostendam occupant, 62
rursus amittunt. 64
Hispani Regis cum Rege Fessano conuentio. 78
Hostrata ab obsidione Hispanorum liberatur. 152
Hunnius Witeberga moritur. 26

I.

Iacobus I. Angliæ Rex declaratur. 10
Imaginum æncarum explicatio. 180
Inducie inter Brandenburgicum & Lotharingum 38
Infantes 8. vno partu in lucem editi. 77

L.

Libellus supplex à Catholicis Regi in Anglia oblatus. 116

Litera Regis Iacobi I. ad Proceres Angliæ. 11
Lotharingici Cardinalis ad Dachsteinium motus. 37
Lusitanica classis ad Bantamum dispersa. 55

M.

Mandatum in Anglia de piraticis nauibus abrogandis promulgatum. 57
Mariæ imperatricis Romanæ in Hispania degentis obitus. 15
Moses Zecclerus nouis motibus in Transyluania studet. 66
Mosis Zeccleri interitus. 178

O.

Obsidionis ad Syluamducis descriptio. 175
Officia publica in Anglia edicto publico confirmantur. 13.
Oratio peregrinorum in Anglia habitantium pro obtinenda priuilegiorum suorum confirmatione. 82.
Ordines confœderati legatos in Angliam mittunt. 81
Ostendani globis candentibus propugnaculum Hispanorum perdunt. 159
Ostenda nouo exercitu firmatur. 63
Ostendanæ obsidionis continuatio. 59

P.

Pacis inter Lotharingum & Brandenburgum ante hæc tempora factæ conditiones quæ. 36
Pacis tractatio inter Sultanū & Rebelles in Asia. 48
Papa Christianos in Africa iuuat. 79
Pesta nouo commeatu & milite firmatur. 107
Pestensium clades. 34
Pestenses commeatu potiuntur. 31
Pestis in Anglia magna. 109
Pestis & lues mirabilis in Ostenda. 160
Præparatio Londini ad futuram Regis coronationē. 82
Processus funebris Marchionis Brandenburgici. 19
Proditio & perfidia militum in Pe-

in Pesta. 106
Proditio Strigonii detecta. 105
Proditio aduersus Electorem Saxoniæ patefacta. 106
Proditio in arce Caueracẽsi. 148
Proditio inter seditiosos detecta. 149
Proditio in Regem Angliæ ab Anthonio Copleio intentata. 153
Proditio in Comitem Mauritium intentata. 105
Proditio in Ostẽda detecta. 60
Proditionis in Anglia prodromus. 104
Propugnacula duo à Collonitsio occupata. 24.
Propugnaculi in castris ad Ostendam destructio. 161

R.

Rebelles in Asia pacem se facturos simulant. 115
Regis in Anglia ad Peregrinorum petitionem responsio. 88

S.

Sabaudus pacem à Geneuensibus expetit. 42
Samosviuaria à Zeetlero frustra obsessa. 70
Seditiosi ad confœderatos Ordines transeunt. 152
Seditiosi pecuniam ab Aquisgranensibus extorquent. 149. eorum dissidium 150
Seditiosi in viam reduci nullaratione possunt. 147 proposito suo frustrantur 148.
Sillistria diripitur & igne vastatur.
Solomosia arx à Basta recuperata.
Spinola infeliciter pugnat. 98
Sultanus pacem expetit. 114
Syluaducis à Mauritio anno 1601. frustra obsessa. 174
Syluaducis à comite Mauricio obsidione cingitur. 173
Syluaducis præsidiarios eiicit. 151

T.

Tartarorum in Hungariam aduentus. 40
Terræmotus Varadini. 72
Tumultus ad Angoriam ci-

mile

uitatem 47
Turcæ quibus conditionibus pacem petierint 114
Transyluani ad Zecclerum deficiunt 68.

V.

Vaida Radulensis Bastæ auxilio venit. 70
Viseburgum à Zecclero occupatum. 69
VetZir Bassa castra ad Pestam soluit. 27
VetZir Bassa nuptias parat. 45.
Zeccleriani à Valachis cæsi. 72.

FINIS.

AOI 1474016